SEXTI AURELII PROPERTII

CARMINA

CUM

OTIORE SCRIPTURAE DISCREPANTIA

PRAESTANTISSIMIS VV. DD. CONIECTURIS

UISQUE OBSERVATIONIBUS CRITICIS

EDIDIT

HERMANNUS PALDAMUS

PH. DR. AA. LL. M.

HALIS SAXONUM

APUD HEMMERDE ET SCHWETSCHKE.

CIƆIƆCCCXXVII.

Cynthia facundi carmen juvénile Properti
Accepit famam nec minus ipsa dedit.

CAROLO REISIGIO THURINGO

PRAECEPTORI SUO

D. D. D.

H. PALDAMUS.

Scis Tu ipse, Carole Reisigi, summi vir ingenii et exquisitae doctrinae, quanto studio Tuis interfuerim scholis, quanta Te prosecutus sim veneratione, quanto denique Te complexus sim amore. Quem enim unicum habui vitae scholasticae magistrum, qui me litteras docere posset, Georgium Fredericum Güntherum, qui, non minus propter incomparabilem animi integritatem, quam ob praestans ingenium variamque eruditionem, multis et nemini magis quam mihi carus, in ipso aetatis flore supremum diem obiit Gymnasii Schoeningo-Helmstadiensis Director laudatissimus, eo ne per omne quidem tempus uti potui, quocirca factum est, ut ab aliis longe relictus almam adirem Fridericianam. Ibi vero Tu ita me instituisti, ita segnem ad humanitatis studia pro virili parte colenda inflammasti, labantem in viam reduxisti, quaerentem docuisti,

ut omnia mea et quae maxima mihi sunt, Tibi soli debeam. Quis enim est tam rudis, tam ab omni humanitatis sensu remotus, ut litteras hominibus divinitus missas ad solatium in miseriis, ad ornatum in prospera fortuna concedat et simul ei summam gratiam referre recuset, a quo se his sacris imbutum esse sentit? Sic igitur et praesentia Tua et recordatio jucundissimi temporis, quo tempore Te magistro uti licuit, me initio libri conscribendi et excitavit et in progressu confirmavit. Meas itaque in Propertio positas ponendasque curas Tibi dedico, quarum hoc specimen benigne, opto, accipias. Plura autem et majora aliquando pro virium mearum tenuitate cum in hunc poetam tum in alios me moliturum posse, summa Amplissimorum virorum, quibus suprema Bibliothecae regiae cura demandata est, benevolentia sperare jubet, qui pro singulari suo promovendi litteras studio roganti mihi aditum ad Diezianam bibliothecam aperuerunt. Pro quo beneficio ut nunc me valde astrictum sentio, ita in posterum, si plus temporis, quam adhuc, illis libris perscrutandis impendere potuero, me non eo indignum comprobare studebo.

Ne de vita et tempore, quo Propertius suos ediderit libros, pluribus disputem, nimia incertitudo, qua alii mecum hac in re versantur, prohibet. Nam pauca sunt, quae ex ipsis carminibus ad hanc illustrandam rem peti possunt, cetera conjecturis nituntur, quarum numerum nolim augere. Diligentissime Bahrdtius in Prolegomenis egit, magis quam dici potest Vulpius balbutit, Burmanni hac de re disputata a Nobbio Specim. obss. p. 10 excitata ignoro, nam praefationem edit. B. a Santenio scriptam esse satis constat. A Bahrdtii rationibus, in aliis Lachm. dissentit, in aliis Nobbius. Sextus Aurelius Propertius, splendidus eques, Hispelli in Umbria, non multo major Ovidio natus, cum res familiaris tristi pertica nisi pessumdata, certe magnopere comminuta esset, Romam adiit. Ibi Hostiam amare coepit. Quam summo genere natam esse Vulpius in Proleg. p. XVII contendit. Sed nulla affert argumenta nisi hoc ad III, 19 (20) 8: *Avum Cynthiae illustrem doctrina fuisse monuimus el. 12. l. 11*:

Nec si qua illustris femina jactat avos.

Quod argumentum parum est firmum. Si enim, quod sane videtur, haec verba ad Hostiam referenda sunt, non de summo genere, sed de claritudine litteraria intelligi debent. Avum enim Hostium libros minimum tres de bello Histrico scripsisse, ex Festo, Macrobio, Servio liquet. Potuit autem libertinus esse. Poetarum more nomina mutantium Hostiam in carminibus Cynthiam vocavit, quemadmodum Diana appellatur Cynthia, castitatis et pulcritudinis laude excellens, ut Huschkius explicat Anal. litterar. p. 308. De ipsa Cynthia magnifice Broukhusius sentit ad I, 2, 27: *Donetur itaque, magno suo merito, poetica civitate illustris puella, cujus nomen inter Romanae lyrae cultrices adhuc desiderari piaculum fuerit.* Contra *ingenium plus quam meretricium* Bahrdtius ei asserit. Verum, ut in omnibus, sic etiam in hoc, positum in medio. Fuit Cynthia sine dubio, ut forma pulcherrima sic ingenio exculta, quae tamen spreto matrimonio liberius vixit. Uterque vero vita tali valde delectabatur nec ex iis erant, qui Augusto, morum licentiam coercenti, favebant v. l. II el. VI, ex quo simul apparere videtur, poetam nunquam et potuisse et voluisse Cynthiam, utpote judicio publico damnatam, in matrimonium ducere.

Aedes eorum fuerunt satis vicinae. Esquilias enim, ubi Propertius habitavit et famosam Suburram, Cynthiae vicum, finitimas fuisse Martialis docet X, 19 ubi ad Plinium, cujus domus in Esquiliis sita fuit, librum suum mittit per Suburram. Juvenis autem Cynthiam dilexit jam anum II, 32, 6:

Appia cur toties te via ducit anum?

Lachmannus *anus* e Menteliano et Guarneriano edidit, quod non intelligo. Ineptit Sterkius Suspic critt. Specim. I. in Actis Societ. Ultratr. I p. 164 sq. Anum quod Cynthiam vocat, hoc non magis a veterum simplicitate abhorret quam quod apud Theocritum Menelao occinunt: ἦ ῥα πολὺν τιν᾽ ἔπινεσ ὅτ᾽ εἰς εὐνὰν κατεβάλλευ. Probo Heinsianam conjecturam III, 5 (6) 22, ubi Cynthia queribunda inducitur:

Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  Aequalem nullam dicere habere domi?

Quamquam *domo*, codicum scriptura, retineri potest. *Aequalem* autem, i. e. *pari aetate*, C. non esse poeta ei objecerat, ut II, 17, 20 dicit: *ipsa anus haud longa curva futura die*. Si quattuor librorum argumenta consideramus, amorem Propertii libro I verecundum, secundo juveniliter exsultantem, tertio tristem et minacem esse apparet. Pertinent vero complures l. III elegiae ad l. I, veluti carmen 23 ubi Athenarum iter minatur, referendum est ad I, 17:

Et merito quoniam potui fugisse puellam

et 18:

Haec certe deserta loca et taciturna querenti.

nec minus ad I, 6 ad Tullum scriptum. Quo itinere confecto, Musae fuerunt poetae aversae, quae ante adhuc puero faverant ut IV, 1, 131 testatur:

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo.

Versu enim 35 l. I, I:

Hoc, moneo, vitate malum, sua quemque moretur
  Cura, neque assueto mutet amore locum.

aperte discessum factum profitetur. Deinde vero soli-

tariam egit vitam, ut Phrynichi verbis utar apud Bekker. Lex. Seguer. p. 344:

> *ἀπρόσολον, ὀξύθυμον, ἄγαμον, ἄζυγον*
> *ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.*

dum paullatim se Cynthiae appropinquaret. In primo libro, si etiam admonitione opus est, ea admodum lenis est. Nec minus se defendit a conatu amici qui ut C. deserat, suadet I, 4, ubi postquam Cynthiam heroinis praeposuerat, v. 9 dicit:

> Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
> Inferior duro judice turpis eat.

leves figuras perperam Heinsius *umbras* exponit, *quotidianas et vulgares* Burmannus intelligit. Sunt *lascivae puellae*, ut seqq. vv. docent et hac significatione II, 1, 52:

> Si memini, solet illa leves culpare puellas,
> Et totam ex Helena non probat Iliada.

quem locum imitatur Claudian. Laus Serenae v. 148. Haec enim significatio necessario sequitur ex ea, ubi *levis* est facilis, non superbus ut I, 18, 11 cl. Handio ad Gron. Diatrib. p. 101. *Turpis* autem est indecens ut Martial. V, 38:

> Cui comparatus indecens erat pavo.

Ut precantem et timidum, non minantem, se gerit el. VIII, ubi C. profectionem cum Praetore minatur, ad quam elegiam refer. III, 19:

> Credis eum jam posse tuae meminisse figurae.

talem XI, XII, XIII, ubi C. absentiam queritur, eam tamen sibi *perspecta cognitam esse fama*, affirmans. Sic etiam XV, ubi de C. perfidia submisse loquitur. Aliter omnia in l. II. Fortunae prosperae fastigium in hoc libro poetam assecutum esse videmus. Venerat ob poetici ingenii praestantiam in hominum ora; Maecenati innotuerat el. I nec minus Augustum salutavit el. X. Simul tamen valetudine minus firma utebatur: crebra enim mortis commemoratio I s. f. IX, 40 et s. f. XIII, 17 sqq. In carminibus vero XIII et XIV, quibus fortasse praemissum fuit XX l. III, se amica potitum esse, ingenti gaudio narrat. Ornatissime Cynthiam celebrat I, II, III, IV, VI aliis, quae tamen omnes laudes fortasse ab una Tibulli el. II l. IV superantur. Tandem XV

Praetor redit poetae nostro fatalis. Utrum unum annum absens fuerit, an longius tempus, dijudicare nolim. Potuit certe imperio biennio uti Dione C. teste L. LIII, p. 706 ed. Reim. τῇ τε οὖν ἐπικλήσει τῇ τῶν ἀντιστρατήγων τοὺς αἱρετοὺς χρῆσθαι καὶ ἐπὶ πλείω καὶ ἐνιαυτοῦ *) χρόνον ἐφ' ὅσον ἂν ἑαυτῷ δόξοι ἄρχειν ἐποίησε. Ab hoc autem tempore frigus et variae inimicitiae incipiunt, quarum vicissitudines persequi non opus est, cum lectori statim pateant. Rarior etiam fit C. commemoratio et quam per totum fere librum primum cantaverat, ea in III l., si carmina, quae supra adduximus, exceperis, admodum parce commemoratur. In ultima denique hujus libri elegia plane Cynthiae valedicit, simul dira ei precatus. Graviter ejus perfidiam castigat 25:

> Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte.
> Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.

In insidiis Burm. correxit, quod jure atque merito Huschkius rejicit ep. cr. p. 78, *ab insidiis* fere, ut Vulpius, *ex insidiis* explicans. Sed non dubium est, quin meliore sententia interpretemur: *Statim postquam insidiae detectae sunt.* De quo pervagato *ab* praepositionis usu cf. Zumptium Gr. p. 240 ed. III, Cic. ad Attic. III, 14: *Si aliquid a comitiis audierimus, nos in Asiam convertemus* ubi v. Ernestum. Livii verba XXII, c. 40: *Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt* Güntherus ad Corn. Agesil. IV §. 6 cum Graecorum et Latinorum *ex* componit, ubi Xenophonteum ἐκ δακρύων γελᾶσθαι componere cum Tullii in Verrin. II, 1, §. 121 dictis poterat: *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore.* Apte Columella VI, 29, 8: *Mores autem laudantur, qui sunt ex placido concitati et ex concitato mitissimi.* Plura de ἀπό et *ab* v. apud eundem Güntherum *Anleitung zum Übers. 2t. Cursus p. 243 n. 11.* *Ab* vero quia notionem temporalem includit, sequitur, ut simul notio causalis insit v. Lennep. ad Ovid. Heroid. II, 85. 86. Igitur Cynthia propter insidias, posteaquam eae detectae fuerunt, flevit. Neque enim intelligendum est, cur Cynthia insidiose fleverit, bene autem omnia procedunt, si nostram probaveris explicationem. Cyn-

---

*) „Lege πλείω ἢ" Xylander.

thia poetae absenti irriserat eumque ridendum conviviis tradiderat. Quo cognito, poeta eam increpat; illa contra, quo se defendat, nihil habet nisi *uberes lacrimas* muliebri more *semper in statione sua paratas.* Ille denique ultimus liber, qui Nobbio l. l. p. 35 ceteris praestare, Lachmanno imperfectus nec ultimam expertus manum visus est, plane alienam a relicuis indolem habet. Sunt autem in eo, nisi egregie fallor, carmina primi temporis, quo tempore poeta in haec incumbere studia coepit. Huc refero I, II, III, IV, V, IX, X; non ante annum A. U. C. DCCXXIII el. VI scripta esse potest, incerti temporis el. VIII, vero similiter tamen post Cynthiae mortem composita: in ultimum autem spatium cadunt el. VII et XI, quas equidem praestantissimas vocare non dubito, de posteriore carmine assentientem habens Valckenarium. Haec carmina, tamquam cygnus, paullo ante mortem cecinisse videtur, fortasse jam aegrotans; est in iis desiderium quoddam ab Romano ingenio alienum. Praeterea etiam, si tamen hoc argumentum esse potest, saepe factum, ut poetae per interitus periculum, in gravi morbo optima panxerint carmina v. Burm. ad Lotich. III El. XI init. Non improbabile igitur est, quod Bahrdtius et Lachmannus autumati sunt, hunc librum non ab ipso poeta, sed ab amicis editum esse. Jam enim in tertii libri finem carmina primi temporis adjecta vidimus, hic diversissima et aetate et argumento carmina congesta reperimus. Non possumus enim inficias ire, illa carmina, quae, ut Ovidii Fasti, res mythologicas illustrent, multo ceteris ejusdem Propertii poematis inferiora esse. Nam ne talium narrationum taedium capiamus, magna numerorum volubilitate cavendum est, qua Ovidius profecto praestabat sodali suo. Propertio autem illum in hoc argumento eligendo praeivisse, coactum esset putare, cum Propertius major natu non is fuisse videatur, qui juniorem tamquam ducem sibi sumpsisset. Omnino autem nemo omnium poetarum Romanorum ita ab popularium imitatione abstinuit, ut Propertius, sola Graeca consectatus. Igitur puto illa carmina a Propertio ipso seposita, nec satis polita, ab amicis post mortem una cum aliis satis elegantibus edita esse. Cum de tempore, quo singuli libri editi sunt, certi nihil discernere pos-

sim, vage autem divinare nolim, in poetae mores ingeniumque inquirere magis juvat. Atque hoc quidem tardius fuit, quocirca carmina ejus artificiosa sunt, ita ut Crinagorae ep. XV de Callimacho dictum *Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε* (ad quae verba Jacobsius excitat Bentleium ad Callim. fr. XL) non minus cadat in nostrum.

Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Ovidius de Cyrenensi poeta judicat Amor. I, 15. 14. Ars autem Propertii metrica praesertim in pentametris in polysyllabum verbum exeuntibus cernitur. Quorum de praestantia P. Burmannus cum Lernutio in libro de Elegia eos argumento flebili aut alioqui atroci et peracerbo aptissimos esse recte sensit. Prudenti igitur consilio poeta in primo libro, quod plerumque tristes affectus eloquitur, talibus utitur versibus, quorum numerum jam Bahrdtius praef. p. XCIII et XCIV multo diligentius definivit quam Nobbius p. 27, qui omnino de hoc artificio metrico iniquius judicat, quia Ovidius ab eo abstinuerit: nam diversi sensus diverso modo exprimi debent. Nullum autem metrum magis ab Propertiano ingenio abhorret, quam jambicum, quo vix in Ovidio vertendo uti licet ac ne in hoc quidem ubique. Laudavit tamen hoc vertendi genus idem Nobbius p. 8, quod non satis mirari possum in viro rei metricae studioso. De gravitate rhythmi Propertiani sic Santenius locupletissimus arbiter loquitur ad Terent. M. p. 266: *Quippe praeter alia multa variandorum quoque numerorum artificium eximie calluit Aurelius, quae causa non ultima est, cur prae omnibus aliis majestatem Heroici poematis proxime assequatur.* Non puto exemplis demonstrari debere, quam callide poeta versus ad sententiam formaverit. Talia enim attentus lector ipse reperit. Sed etiam alia sunt apud nostrum singularia, velut dactyli finalem consonae sc sp st excipientes, de quibus Lennepius accurata adversus Hieronymum Boscham, ex cujus multis exemplis sola fere Propertiana quadrant, disputatione in Addendis ad Terent. M. p. 411 — 420: *Sed equidem*, inquit, *potius ad omnia dicendum puto, probari his exemplis item, quod aliis permultis, magni spiritus poetam Propertium non tam levia secutum esse, quam nervos animosque.* Ingenium poetae fuit

vehemens affectibusque plenum, ita ut mox gaudio ad coelum efferatur, mox humi abjectus fleat. Hoc autem id est, quo Italis poetis similis est. Quamquam enim nos, cui ex Amoris triumviris Propertio Tibullo Ovidio principatus tribuendus sit, pariter ac Fabius ambigimus, cujus judicium Muretus in eximia scholiorum suorum ad Franciscum Gonzagam dedicatione longius persequutus est, id tamen certum esse videatur, Ovidium levi Francogallorum ingenio ita se appropinquasse, ut in ejus lectione immanis morum licentiae sub duce Aurelianensi vigentis admoneamur, Tibullum contra Germanum quiddam spirare, Propertium vero variis et diversis affectibus plenum, pariter ab Ovidiana facilitate et levitate atque ab Tibulli tristitia discrepare. Quam opinionem dudum conceptam non leviter confirmat recentiorum poetarum imitatio. Tibullum omnibus praefert noster ille Petrus Lotichius, immortale Germaniae decus, licet infelici casu in ipso aetatis flore humanis rebus ereptum. Carm. l. III, XXXVI, 28:

Sed tantum superat facundi Musa Tibulli
Quantum voce alias Da .lias alet aves.

Propertium contra Itali magis sequuti sunt, e quibus Actium Sincerum Sannazarium et Jo. Jovianum Pontanum, ipsum Umbrum, nominare sufficiat. Pressius interdum ejus vestigia sequuntur Hercules et Titus Strozae *). Janus Broukhusius, philologorum in re litteraria Italica versatissimus, Boccacium et Tassonem saepe comparat; alia attulit Vulpius non immemor, ut par est, Petrarchae. Hunc enim poetam qui Propertii carmina nondum noverit, plurimam habere similitudinem cum Umbro, persuasum mihi est. Atque etiam amor erga Lauram illam Avignoniensem habet, quo cum nostri amore comparetur. Sed de his alicubi. Nam Franciscum Petrarcam jam antiquitus habitum esse ut parem veteribus poetis, luculenter Basinius in epistola ad Sigism. Bandulphum Amatestam docet, edita ab Ama-

*) J. C. Scaliger Poetic. L. VI c. 4 p. 792 ed. II de Stroziis: *uterque enim maxime voluit a vulgo abesse poetarum idque multis in locis praestiterec* Idem p 797 de Balthasari Castilionei elegia: *Profecto eam mihi unam mulim, quam magnum numerum Propertianarum.*

dutio in Anecd. Litterar. T. II. p. 405 ubi Thomam Senecam Camertem, *insignem magistrum*, Petrarchae imitatorem vocari, refert. Locum debeo Huschkio in Catalogo edd. Tibull. p. LXXXV sq. Nec minus Ludovicus ille Ariostus, ingenii fervidi poëta et calidi, in affectum praesertim variatione et descriptione poetae nostro par similisque habendus est. Aliam rem, qua a veteribus poetis differt, Schlegelius in Athenaeo aperuit. Sic enim ille verissime I, 2 p. 50: *Wenn man sich nicht durch Künstlernamen und gelehrte Anspielung blenden läſst, so findet man bei alten und neuern Dichtern den Sinn für bildende Kunst seltner als man erwarten sollte. Pindar kann vor allen der plastische Dichter heiſsen und der zarte Stil der alten Vasengemälde erinnert an seine dorische Weichheit und süſse Pracht. Propertius, der in 8 Zeilen eben so viel Künstler mahlen konnte, ist eine Ausnahme unter den Römern.* Significat III, 8, 9—16. Sed ne longius disputem de singulis poetae pulcritudinibus, quae melius sentiri quam dici possunt, optima laus haec est ei, quod illi Germanorum poetarum principi, quem prae ceteris omnibus Musae nascentem placido lumine aspexerunt, placuit et in divinis illis pangendis elegiis Romanis praeiivit.

E Graecis poetis, quos praecipue sibi imitandos proposuerit, quis ignorat? et suaviter Augustus Guilielmus Schlegelius, vir nunquam sine laude commemorandus in Athenaeo II, 1, p. 191 Elegia ad Goethium:

Römischen Nachhall nur vernehm' ich vom zarten Gekose,
Das Philetos ergoſs, wann wie des Bachs Labyrinth
Irrend und wiederkehrend der weiche Pentameter fortzog.
Und Kallimachos auch buhlt in des Umbriers Lied.

Et ut sequentia addam:

Der süſszaubernd die Dichter bestrickt' in Lieb' und die Weisen,
Hermesianax, schweigen doch alle von dir.

Hermesianax autem, quamvis a Propertio numquam nominatus, saepe ab illo expressus est, ut vel ex fragmento, quod nobis servatum, intelligi licet. „Ut vero Hermesianax tres Elegiarum libros *Λεόντιον*, sic ejus imitatione Propertius librum primum Elegiarum Cynthia inscripsit, quod ejus interpretes videtur latuisse" Verba sunt Ruhnkenii de Hermesianacte Opusc. II

p. 617 ed. Lugd. B. 1823. Simile quid Simmias fecit, qui librum suum *Γοργώ* inscripsit v. Brunck. Lectt. ad Anal. p. 39 et cui non Mimnermi *Ναννώ* dicta? Quid? quod Catulli etiam librum passeris nomine insignatum esse, aliquando somniatum. Sed veteres poetas hac in re ingeniosissimus Janus Secundus secutus est, de quo sic Joh. Schraderus in carmine editioni Lotichii. Burmannianae praemisso:

Si Venus heredem Latio dedit alma Philetae
  Cujus ab ingenio *Cynthia* nomen habet:
Diva dedit dulcem, quem protulit Haga Secundum,
  Cujus ab ingenio *Julia* nomen habet.

Accedit sine dubio ad eos, quos Aurelius imitatus est, Euphorion Chalcidensis, teste Diomede l. III c. 6, qui locus a testimoniis in editione Broukhusii abest: *Quod genus carminis* (Elegiam) *praecipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus, imitati Graecos Callimachum et Euphorionem.* Et quamquam ex ejus fragmentis nihil hac de re colligi potest, omnia tamen ea, quae de Euphorionis obscuritate praeclare disserit Augustus Meinekius in libro de ejus vita et scriptis p. 42, tamquam de Propertio dicta sunt. Et vellem, tantum de Philoctete carmen, cujus fragmentum Stobaeus servavit Tit. LXIII ed. Gesn. etquod apud Meinekium XXXVI numeratur, (ex cujus dictis corrigi possunt quae de Philoctetae nomine in Gaisfordiana Stobaei editione annotata sunt) integrum extaret; sine dubio multa ex eo in obscura Propertii de Paeti naufragio elegia III, 6 (5) illustrari possent. Neque tamen tam stultus imitator fuit Propertius, ut omnia sine dilectu in suum converteret usum, sed vel exquisitas res mythologicas recepit, ut Hermesianactis de Homeri erga Penelopen amore fabulam II, 34, 45, vel etiam breviter ab aliis dicta longius persequitur. Sic Hermesianactea de Tartaro ἀπειθέα χῶρον pluribus exprimit IV, 11, elegia, ex qua contra sequentes poetae certatim hauserunt, et ejusdem κοινὴν ἄκατον, ut optime Ruhnkenius videtur pro ἀκόην scripsisse, exponit III el. 17 v. 20 sqq. Alia pariter ex Hesiodo, Apollonio Rhodio, aliis expressit. Aeque callidus imitator Statius fuit (v. Henkium in Handii praef. p. XV,) cujus carminum lectio multum in Propertio illustrando prodest. Nam praesertim in auda-

cioribus imaginibus, et in exaggerationibus nemo cum Propertio, nisi Statius, comparari potest. Aperte, verbi causa, Propertium III, 1, 54:

Et *defessa* choris Calliopea meis

Statius sequutus est I, Silv. 5, 2:

Nec *lassata* voco toties mihi numina Musas

Hunc similem inveni locum Propertiano nec alium immensae vir lectionis Passeratius produxit. Et est satis sane fortiter dictum. Nam quod Juvenalis dixit II, v. 92:

Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto

quem locum nuper A. Meinekius in eruditissimo Quaestionum scenicarum specimine I tetigit, hoc ironia excusatur. Propertio affinitatem esse cum Statii translationibus mecum Bahrdtius ad Stat. l. I Theb. v. 37 censet, ut intellexi e Santenii schedis. Obscuritati et reconditarum rerum, praesertim in Mythologia, consectationi, vicinum vitium est tumor, pene Orientalicus, quem interdum apud Propertium offendimus v. c. de Cynthia furiose fores propulsante IV, 8, 56:

Spectaclum capta nec minus urbe fuit.

II, 23, 11:

Tetra venena libens et naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser.

ubi Lachm. *ebibat* non tulit, sed *imbibat* scripsit. Sed cf. initium el. XIII ejusdem libri, ubi e v. 10:

Immortalis ero, si altera talis erit

sc. *nox*, sua hausit Sosipater ep. II, atque illis versibus gemina sunt el. XII init.:

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.

Plane ut Persicus quidam poeta apud Umbreitum in eleganti de cantico canticorum libro p. 143, narrat, ab unoquoque crine puellae, cum cincinnos aperuisset, mille cordes pependisse *)

*) Omnino in crinium descriptione saepenumero poetae luxuriantur. cf. v. c. Paul Silentiar. ep. XXIII, de quo agit Bergler. ad Alciphr. I ep. 35.

Quod attinet ad Propertii codices, cum historiae de reperto uno codice in cella vinaria sub dolio fides nondum satis constet, v. Santenium praef. p. X sqq., quem, quod jure mireris, Nobbius neglexit, ea, quae in hunc usum a me collecta sunt et, deo favente, colligentur, nunc supprimam et cunctabor, ne festinando rem perdidisse videar. Imprimis autem Perrejani variantes digni sunt, ad quos attendamus, cum hos, licet interdum interpolatos, ex praestanti et ab ceteris plane discrepanti libro ductos esse confitendum sit. Pertinet ad eos etiam Minturni codex, quem cum Colotiano eundem esse suspicor. Batavi autem codices i. e. Burmanniani, Vossiani, D'Orvilliani recentissimi, Askewii etiam codex atque Guarnerianus Vulpii fortasse cuncti sunt ex impressis exemplaribus ducti, ut mihi quidem ex iis locis apparere videtur, quos in edit. princ. a. 1472 conferre potui. Totam enim hanc quominus conferrem editionem, impedivit prava possessoris diligentia, qui veteres lectiones scalpello erasit v. Huschk. praef. ad Tibull. p. VI. Ex hac autem editione descripti sunt aperte D'Orvilliani duo, quorum uni a. 1473 subscriptus est. At quo saepius factum videmus, ut etiam post artis typographicae inventionem codicum scriptio non statim evanuerit, eo magis Nobbium miror hoc negare. Prolegomena editorum Tibulli, Statii, aliorum, abunde exempla praebent. Praeter hanc edit. principem contuli Brixiensem (apud Propertium sine loco et anno; de duobus ceteris poetis, quorum carmina haec complectitur editio, cf. Huschk. Catalog. edd. Tibullian. p. LIX) a. 1487, eam, quae Rhegii Lepidi prodiit a. 1481 multis annotationibus mss. Alexandri Synclitici, Cujacii discipuli ornata, Aldinam (cf. tamen Huschk. l. l. p. LXVII) cum variantibus mss. Minturni a. 1502 et Gryphianam a. 1542. Nullus tamen inde usus fuit ad hanc potissimum editionem redundans.

Dedi autem hic codicum maxime memorabilium conspectum, in quo libri fere consentientes, quam maxime fieri potuit, compositi sunt.

Groninganus (Gr. in nostra ed.) seu Posthii vel Mensingae liber seu Modii Excerpta *).
Neapolitanus.
Mentelianus (M. in nostra ed.) Leid. I Francianus II.
Leidenses duo.
Burmanni duo (I sive Heinsianus seu Francii I).
Vossiani quattuor.
D'Orvilliani duo.

Askewianus.
Borrichianus.
Harlejanus Musei Britannici.
Guarnerianus.
Palatini duo.
Comelinianus.
Vaticani quinque (V cum Batavis, I, II cum Perrejano fere conspirans).
Excerpta Scaligeri s. Cujacianus (a nobis *Exc.* s. *Cujac.* nominatus).

*

Colbertini.
Regii s. Parisiensis.
Bononiensis.
Dresdensis.

*

[Farnesianus.
Memmianus.
Grasseri I.

Excerpta Perreji.
Vatican. I. II.
Colotianus.
Minturni codex.
Feae codd. **)

---

*) Excerpta Modii et Gr. saepe dissentiunt.

**) Quos interpolatos esse docent IV, 5, 57:

Dum vernat sanguis, dum rugis integer *annus*

ubi *alvus* vult e suis libris. Apertum glossema. *annus* est senectus. cf. Salmasium ad Tertullian. de pallio p. 194 et multo audacius Statio dicitur Silv. III, 1, 335:

Vix *annus anhelat*
Alter

de quo loco cf. Markland. ad Silv. I, 3, 8. Ejusdem elegiae v. 29:

Et simulare virum pretium facit. utere causis

ejus codices legunt *stimulare* et *claustris*. Male. Aperte respicit huc Ovidius A. A. III, 603:

Incitet et *ficti* tristis custodia servi,
Et nimium duri cura molesta viri.

Interpolator fortasse propter *incitet* in istam incidit correctionem, sed momentum rei in *ficti* est et *stimulatio* jam per *pretium facit* exprimitur. cf. etiam finem Horatianae Sair. I, 2,

De Propertii editionibus paucis liceat defungi. Post Beroaldi *) et Volsci curas pro tempore suo praestantissimas, duo extiterunt diverso plane ingenio, simili eruditione viri, Josephus Scaliger et Johannes Passeratius. Ille caeco adversus Muretum, cui noster multum in mythologicarum rerum explicatione debet, ductus odio, plura immutavit, transponendo praesertim, qua re illud incommodum non facile tollendum exoriebatur, ut diversae plane duae fierent recensiones, Scaligeriana et usque ad hoc tempus vulgata, quae denuo a Vulpio revocata, a Bahrdtio repetita, in mea expressa est editione. Johannis Passeratii commentarii, quamquam nugarum non expertes, praeter eruditionem vere amplam, eo etiam nomine sunt laudabiles, quod minus ad conjecturas probandas quam ad vulgatam defendendam spectant. Et si Broukhusii commentarium, pauca Burmanni aliorumque exceperis,

---

unde ancillarum λίκτρον ἑτοῖμον praefert Rufinus ep. I, Adde Juven. Sat. IV, 2 — 4. Quam (nostram) lectionem confirmant Lupachini membranae; Pontani etiam codex, teste Poccho, habebat

dum nugis integer, annis
Utere

Santen. ad Balbum, quem cf. de pentametro.

*) Haec loca a se emendata esse Beroaldus in fine praef. monet:
Pallidus ora timor nos emendavimus Palladis ora tumor (II, 30, 18)
Cur vatem herculeum pro curra teu bereulepm (II, 32, 5)
Parrhasius parva pro pireicus (III, 8, 12)
Mens bona si qua deo est pro si qua dea es (III, 24, 19)
Armantur etrusca sagittis pro Susa (II, 12, 1)
Persuasae fallere prima sat est pro rima (IV, 1, 146)
Navita dives eras pro non ita (II, 19, 22)
Dure poete pro choe (II, 34, 44)
Munitus henricus hostis equo pro munito Siricus (IV, 3, 8)
Offensam illa mihi pro infensa (III, 7, 40)
Migdoniis cadis pro modis (IV, 6, 8)
Perrhebi tremuere cacumina Pindi (III, 4, 33)
Puros sideris esse dies pro isidis (IV, 5, 34)
Pretoria classica (III, 2, 41)
Sic sanctum tatiae composuere cures (IV, 9, 74)
Qui dabit immundae venalia fata saginae (IV, 8, 25)
Cera Philippeis pro philitheis (IV, 6, 3)
Syriganam tracto pro serica nam taceo (IV, 8, 23)
Magnus et ipse suos pro Nanus (IV, 8, 41)
Detonsis ab annis pro mannis (IV, 8, 15).

omnia fere, quae post Passeratium ad interpretationem allata sunt, ex ejus commentariis ducta esse patebit. Qui maxime memorabiles sunt interpretes inter Passeratium et Broukhusium intermedii, Janus Gebhardus et Joannes Livinejus, ex iis ille, diligentissimus vir, Palatinos libros et Comelinianum codicem accurate contulit, Graeca cum Latino poeta non sine fructu composuit, in divinandi arte parum proficiens; hic, elegantissimi vir ingenii, multa apte explicavit, plura acute emendavit, ita ut ejus annotationes cum fructu et voluptate legantur. Ut ridiculum Propertii in usum Delphini editorem transeam, gravissimus secutus est editor Janus Broukhusius, *ingeniosus poeta* ut vere de eo Ruhnkenius dicit in oratione de doctore umbratico, qui, quamquam in conferendis libris ms. et impressis minus accuratus, interpretem egit vividum et a vulgari modo alienum. Interdum etiam ad Bentleianum interpretandi genus aspirat, licet alioqui illi viro in judicandi subtilitate impar. Post Passeratianam editionem, quam paullisper recisam Joh. Antonius Vulpius repetivit suisque auxit observationibus, parum bonae frugis praebentibus, longe instructissima a critico apparatu et ampla eruditione prodiit Petri Burmanni editio a Laurentio Santenio absoluta. Est haec horreum quoddam emendationum ab aliis factarum. *Non facile explicationem aut emendationem invenies, cujus Burmannus non meminerit.* Verba sunt optimi judicis, ipsius Santenii, in ineditis. Diligenter eorum eruditorum loca ad Propertium spectantia attulit, quorum scripta in Gruteri Face Artium liberalium conjunctim edita sunt, quam ob rem vel oculorum nostrorum causa laetari possumus. Quod autem attinet ad ipsius Burmanni crisin, ea non magni est momenti et quod Ruhnkenius de Burmanno majore tulit judicium in praefatione ad Vellejum Paterculum, id multo magis in Secundum cadit. Exempla affatim Lachmannus attulit; nos uno defungamur, quo simul disci potest, quam caute ejus annotationibus utendum sit. Novissimus Horatii editor, Jahnius, ad notum illum in A. P. v. 441:

delere jubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.

annotat: „Pro *tornatos* Bentlei. cor. *ter natos.* Sed v. Burm. ad Prop. II, 25, 43. p. 471." Loco evoluto, haec scripta reperimus: *Quod autem Broukhusius haec conferat cum noto, sed vexatissimo, loco Horatii in A. P., id repugnante Bentleio fit, qui operosa digressione contendit illic legendum ter natos, tam in suo ad H. commentario, quam in notis ad Callim. fr. XL. p. 429 quam tamen emendationem, multa licet eruditione corroboratam, non omnibus persuasit veram. ferula ludimagistri eam castigavit Ric. Johnson Aristarch. Anti-Bentlei. P. II. p. 113, moderatius vero refutavit Cuningh. Anim. ad Horat. Bentl. c. XII. p. 211 et sqq; qui Guyeti formatos in textum admisit. Tota etiam velitatione Bentleio se opposuit Fr. Oudinus Miscell. Obss. Nov. T. II. p. 416 — 422 et de utroque Horatii et hoc Propertii loco v. Roselium Baumonium in Hist. Gall. Critic. Reip. Litter. T. IX. p. 116 sq.* An his Bentleium refutatum esse putabimus? Non, credo. Aptius Jahnius Oudendorpium excitasset ad Appul. Florid. I. n. 9, qui, locupletissimus Latinitatis arbiter, *formatos* probat. Interpretandi genus Burmannianum ita fere est comparatum, ut saepe prodigus sit in facilioribus, parcus vel nullus in obscurioribus locis explicandis. Quod vitium jam Reiskius in eo notavit in Novis Actis Eruditor. a. MDCCXXXXVIII P. I. p. 123 sq. An in hoc libro multa e patrui schedis hauserit, ignoramus; objectum est alioqui hoc ei saepenumero atque etiam probatum. v. P. Burmanni vitam apud Harlesium I. p. 93 sq. et Handium ad Statii Silv. p. 333. Sed, quidquid est, maximam iniit Burmannus gratiam hac editione apud eruditos viros, quae semper laudabile et gloriosum doctrinae ejus et diligentiae monumentum erit. Anno ante, quam haec in publicum mitteretur editio, prodiit Bahrdtiana, justo plus fortasse vituperata. Mediocre fuisse auctori ingenium, sed assiduam diligentiam liquet. Prolegomena non sine bona fruge sunt; ceterum editio satis nota et in omnium manibus est, ita ut verbis de ea parcere liceat. Secutus est Carolus Lachmannus, qui primus novam ingressus viam, codicum scripturas reduxit atque ita omnino egit, ut permulta ei debeat Propertius. Sed, ut candide dicam, quod sentio, duo sunt, quae ab ingenioso viro facta

nollem. Primum enim quattuor libros in quinque dissecavit paullo festinantius, quam par erat, deinde vero suas fere cunctas conjecturas in textum intulit. Quem morem in ipso Bentleio ab Wolfium, jure, mea sententia, notatum non possum, quin improbem, cum nimis fallax sit divinandi ars, ut de aliis, quae inde oriuntur, incommodis taceam. De Lachmanniana autem editione mox plura agam. Plures etiam fuerunt docti viri, qui editiones promiserunt, quae numquam tamen prodierunt, velut Scioppius in praefatione Verosimilium libr. ingeniosus vir, sed prave ingeniosus, et Achilles Statius, cujus commentarii damnum magis deplorandum est, cum et ex relicuis hujus viri scriptis bene de hoc commentario sperare liceret et ipse jam totus descriptus ex Italia ad Burmannum Secundum missus sit. Sed navis, qua vehebatur, naufragio interiit. Debeo haec Santenio, in ineditis. Quem ipsum virum, ampla eruditione, praestanti ingenio et subtili imprimis rei metricae scientia instructum magnopere dolendum est, novam editionem, quam parabat, absolvere non potuisse. Sed fata prohibuerunt *).

Causa vero praecipua, qua commotus Lachmannus secundum librum in duos partitus est, notissimus versus est II, 12, 25 (10, 24 ed. B. III, 4, 9 ed. L.)

Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Disputaverunt de eo praeter editores in annotationibus ad h. l. Lachmannus praef. p. XXI — XXIII et Nobbius Observationum in Propertii carmina specimine. Ille suam in eo nititur sententiam, quod non integra ad nos poetae carmina pervenerint, sed mutila et truncata. v. praef. p. XX sq. Nonnulla jam contra monuit Nobbius l. l. p. 37 — 39. nec longiore refutatione opus esse arbitror, id unum monens, omnino grammaticorum in nominandis scriptoribus auctoritati minus tribuendum

---

*) Per fata, partim quidem ipsius culpa infelicissima, et conditionem nequaquam invidendam, nec opera nec pecunia ad promovenda studia pepercit, non dissimilis hoc nomine Jacobo nostro Reiskio. v. de ejus vita Wyttenbachium in V. Ruhnkenii et praecipue in Bibl. Cr. III, 3. p. 133 sq. Mahnium V. Wyttenbachii et Villoisonum in Melanges litteraires, cujus libri notitiam et excerpta Wolfius dedit Anal. I, p. 403.

esse, cum memoriae vitio saepe errarent, ut etiam Salmasio aliisque recentioribus, sed illi imprimis, accidit. Sic Propertii v. 37 el. VII l. III a Diomede p. 366 ed. Putsch. sub Maecenatis nomine affertur et Persio tribuitur v. 13 el. 1 C. IV ab Isidoro Origg. XVIII c. 4. quem secure sequitur Franc. Passovius in praef. ad Persium p. VI. Sed, ut ad distichon illud revertar, rationem, qua Lachmannus rem dirimere studeat, violentissimam esse nemo non intelligit. Ut enim taceam nimiam pro relicuis libris brevitatem libri hujus secundi, demonstrandum certe fuit, vel ex minutissimis vestigiis, quomodo et quando hac duo libri conflati sint. Quod cum non ab illo factum sit, equidem argumentis ejus sententiam oppugnare supersedebo. Adjicit tamen Lachmannus hoc argumentum, elegiam X, in quo Augustus salutetur, non aliter, atque in libri initio, poni potuisse. Cur vero Horatius Odam ad Augustum, ejusdem argumenti, in loco duodecimo l. I collocavit? Sed hae sunt nugae. Ante Lachmannum, qui distichi difficultatem magis tamquam nodum Gordianum dissecuisse quam dissolvisse putandus est, alii alia tentarunt. Lachmanno simile Broukhusius e III. libro hûc tractum esse distichon contendit; Beroaldus exponit: *Contentum se esse trium librorum pompa, vel quia tres tantummodo facere destinaverat, vel quia ternarius numerus est potentissimus, ut docet Ausonius.* De tribus nondum absolutis libris Scaliger et Passeratius intelligunt. Lipsius Var. Lect. I c. 16 poetam tres tantum Elegiarum libros composuisse, quartum vero, grandiora argumenta complectentem, monobiblon nominatum esse, quod nomen post librariorum incuria in primum librum translatum esset. Qua de sententia Broukh. in annot. ms.: „in quo valde fallitur vir, quod bona cum venia dixerim: quod enim hic (l. IV) amores non scribantur, manifestissimo reclamant El. hujus libri. 3, 5, 7, 8. Deinde monobibli titulum non nisi l. I convenire, abunde docuit Scaliger init. Castigationum. Lipsium secutus est Passerat. ad I, 6, 2." Burmanno, postquam pro levitate sua Vulpio Callimachi Mimnermi Philetae libros intelligenti assensit, versus hos et relicuos elegiae in finem el. XV l. III transponendos censet. Bahrdtius in vita Propertii

p. LXXXIII, cum Propertius promiscue carmina ediderit, factum esse, ut elegia haec proprie ad III librum pertinens in secundum relata sit, quaerenti respondet. Nobbius denique, postquam multis verbis de horum virorum sententiis egit, in ultimo capite suam profert opinionem. Accipit autem *libellum* pro *carmine*, ita ut poeta se Proserpinae tria carmina ferre velle dicat. Quod cum per se ridiculum, tum etiam ineptius est, cum poeta jam totum librum scripsisset. Considerandum vero est, poetam non de morte, statim vel mox, sed aliquando obeunda sermonem facere. Igitur sperat, sibi datum iri, ut unum librum his duobus adjiciat. Trium autem numerum sumit vel quia vere his finire voluit vel quia hic numerus tamquam indefinitus usurpabatur. Omnia autem Romani ter agere solebant, quod ex ritibus sacrificiorum, in quibus actus quicunque ter iterabatur, Reinesius ducit ad Petron. c. 41. Quod vero Nobbius p. 44 dicit, hoc vocabulum tum demum *pauca* significare, si verbum contrarii significatus oppositum sit, id falsum est, ut ex ipsius exemplo Plautino Trinummi IV, 2, 121 et liquidius etiam e Terentii et Sereni Sammonici a Vossio et Verburgio ad Catull. I, 5 adductis intelligitur. Quid igitur mirum, si poeta, in componendo II libro occupatus, unius tantum perfectionem petit? Fortasse etiam, quod affirmari tamen nequit, poeta in his versibus scribendis Hermesianacten in mente habuit, tres libros *Λεόντιον* inscribentem, ut similiter Cynthiam celebrare vellet. Quocunque autem hoc se habeat, nihil mutandum esse persuasum habeo mihi, nec alius quisquam, nisi interpretum annotationibus jam captus, in hoc loco offendet. — Praecipue autem Lachmannum laude dignum censeo, quod eas etiam scripturas, quae propter elegantiae speciem facile fallere potuerunt, denuo e textu expulit. Hoc enim est discrimen in recensendis Latinis et Graecis scriptoribus, quod in his plerumque difficilior et exquisitior scriptura praeferri debeat, quia medii aevi doctores Graeca corrigere non ausi sunt, Latinorum autem scriptorum opera, imprimis poetarum carmina, pro lubitu emendarunt et corruperunt. Sed cum ne in Graecis quidem exquisitiorem lectionem a paucis libris praebitam inclytus An-

thologiae Palatinae restaurator recipere auderet v. ejus praefat. p. LXV nec aliam viam in simili re Godofredus Hermannus ingressus sit ad Soph. Ajac. v. 489, multo majore jure Carolus Lachmannus e nostri I, 3, 18:

Expertae metuens *jurgia* saevitiae

verbera expulit, quod pro *jurgia* e Cujaciano et Passeratii libro receptum fuit. Hoc quidem, puto, non dubium esse potest, *verbera* esse significatione translata usurpata. Quod idem est, cur interpolatum esse hoc verbum credamus. Nam in iis locis, ubi *verbera* pro *jurgia* leguntur, non sine vi comica verbum positum est, ut ab Horatio L. III Carm. 12, 3:

metuentes
Patruae verbera linguae.

Priscianus in periegesi v. 1034:

Psittacus hic viridis, decoratus torque rubenti,
Nascitur, humanae simulat qui *verbera* linguae.

Aptissimum huic loco verbum perperam in *verbula* mutare voluit Camers. Sed alienus ab his exemplis noster locus est gravissimus. Igitur, quamvis ipse in textu *verbera* reliquerim, nunc tamen *jurgia* praefero.

Pari modo I, 15, 7:

Nec minus Eois pectus variare lapillis

Edebatur ante Lachmannum *radiare* e libro Gebhardi Comeliniano, quod, tamquam interpolatum verbum, bene expulit Lachmannus. Nova ceterum nec in lexica relata significatione Sanctus Augustinus Confessionum l. X. c. 34: *Aut quam* (sc. lucem) *videbat Jacob, cum et ipse prae grandi aetate captus oculis, in filiis praesignata futuri populi genera luminoso corde radiavit.*

III, 2, 37:

E quarum numero me contigit una *dearum*.

Sororum liber Heinsianus, unde recepit Broukhusius; recte, mea sententia, *dearum*, omnium codicum et editionum scripturam, Lachmannus reduxit. Vides autem, e talibus locis pariter in Propertio dittographiam constitui posse atque in Catullo sibi invenisse visus est Martyni-Laguna in Catulli Doeringiani censura Ephe-

merid. litt. Jenens. mense Junio A. 1790. Nam varians illa lectio apud Catullum II v. ult:

Quod zonam solvit diu ligatam

negatam p. *ligatam*, quae in uno Avantii libro, et apud Huschkium in Analect. litt. p. 67 in margine cod. XXIII et Riccard. reperitur, exquisitior quidem est, nihilo-tamen minus ex docti Itali ingenio orta. Temerarium est, inde duplicem recensionem suspicari. Nam ut omnino de his recensionibus judicium meum, qualecunque est, feram, indignam illis censeo poetis singulorum verborum anxiam emendationem. Neque etiam, si rem ulterius indagari velis, e doctiore scriptura certo semper colligi potest, eam e secundis scriptoris curis profectam esse, cum nec apud philologos *δευτέραι φρόντιδες σοφωτέραι* quod Toupii inprimis exemplum docet, et multo minus apud poetas, cujus rei causa in promptu est. Exemplis si opus videtur, cf. Menagium ad Malherbae Poem. III p. 173. Vidimus etiam, conatus illos, quibus inde ab Sophoclis Trachiniis usque ad Lactantium Instit. I, 1, 13 viri docti duplicem recensionem probare studebant, parum habuisse plerumque successus.

Ex Lachmanni conjecturis, quamvis nullam praeter unam II, 29, 27 *ut* p. *et*, quae tamen correctio jam non necessaria videtur, receperim, plures tamen probo, praecipue II, 28, 9:

Praeterea domibus flammam domibusque ruinam.

Inficeta domuum repetitio non multo minus hoc loco offendit, quam Sophocleum in Oed. C. v. 702 *ἔυιππον, εὔπωλον*, frustra Simmiae versu propugnatum, qui ab Hermanno cum ad h. l. tum in Elem. doctr. M. p. 200 laudatur. In talibus enim rationem exemplis praevalere puto. Bene igitur Lachmannus pro secundo *domibus* corrigit *dominis*, plane ut Aquinatis poeta loquitur Sat. III v. 72:

Viscera magnarum domuum dominique futuri.

ubi *viscera domuum* intellige patronorum rem familiarem devorantes. Quae tamen praeterea Lachmannus tentat, non necessaria puto.

III, 14, 41:

Prata cruentantur Zethi victorque canebat
Paeana, Amphion rupe, Aracynthe, tua.

Zethi commemoratione, frigidam fieri orationem cum Heynio probe Lachmannus senserunt et optime hic *leto* emendavit, ipse tamen argumenta correctionis corroborandae negligens. Versu enim 29 nonnulli libri *lethum* habent pro *Zethum* et *Zetho*, quod etiam Passeratius suspicatus est, Beroaldus legisse videtur, cum *a Zetho* exponat. Praeterea etiam *Zetus* scribitur interdum. cf. Muncker. ad Hygin. f. XIV p. 42. Laudabilem Lachmannus diligentiam interpunctioni turpiter neglectae adhibuit, ita ut pauca in hac re mihi restarent. Veluti in carmine, de quo modo agimus, III, 14 v. 22:

Incovet Antiope quem, nisi, vincta, Iovem.

Vincta primus signis inclusi. Versus hic quodammodo cum Tibulliano componi potest II, 3, 14:

Quidquid erat medicae, vicerat, artis amor.

de quo hyperbato Huschkius verba fecit Anal. Wolfii I p. 173 sq. Nec longe abest Ovidius Met. IX, v. 94 sq.:

neque enim, dum flumina pacem
Et placidos habeant lapsus, motaeque residant,
Opperiuntur, aquae.

Quem Huschkius affert Theocriti v. I, 95:

Ἦνθέ γε μαν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα

eo aliquando Callimachi locum H. in Delum v. 21:

Σαρδὼ δ' ἱμερόεσσα καὶ ἣν ἐπενήξατο Κύπρις

ita explicare conatus sum, ut ἱμερόεσσα ad Κύπρις trahatur, deceptus Dionis Cassii loco, quem mutilum Hoogevenus affert ad Viger. p. 464, quocirca Hermannum in errorem duxit. At potuit Sardinia amabilis dici, quamvis refragenter multi. Luculenter Claudianus de bello Gildonico v. 507—15, ubi de diverso terrae ingenio agit, quicum ex parte congruunt Herodotus locis ab Heysio Quaest. Herodot. Spec. I p. 140 collectis aliique.

Venio nunc ad meae editionis consilium. Cum observationes tantum criticas ad Propertium spectantes, textu omisso, edere propositum mihi esset, bibliopola, humanissimus idemque honestissimus vir, textum adjectum iri flagitavit. Igitur, cum nunc me imparem textui recensendo sentirem, sic rem institui, ut,

Vulpiano ordine servato, textum darem ad editionem Burmannianam accomodatum, ita tamen, ut, ubi codicum scriptura a Lachmanno reducta supra dubitationem posita esse videretur, hanc reciperem. Ubi ab his legibus discesserim, partim in observationibus indicatum est, partim postea dicam. Atque ab ordine carminum Vulpiano me bis recessisse et in fine observationum dictum et hic denuo monetur, ne errandi occasionem praebeam. Tenendum, me l. II ab el. X usque ad el. XXVII excl. ita discrepare ut XI—XXIII incl. el. ed. Vulp. in mea sint X—XXII incl. XXIV ed. Vulp. in mea XXII, 25 - 40 et XXIII - XXIV mea ed. XXV Vulp. XXV et XXVI meae XXVI Vulp. In tertio l. ab el. I. usque ad XX cum Lachmanno habeo I—XIX, in XX iterum cum Vulpio consentio. Sic, opto, nemo errabit atque errorem omissorum Vulpii numerorum condonabit. Quod vero attinet ad selectam scripturae discrepantiam, non omnes apposui variantes, non omnes indicavi conjecturas philologorum. Ne enim talis haec fiat editio, qualis est Augusti Jacobsii, elegantissimo viri ingenio et quondam praeceptoris dilectissimi, editio Theocritea et Catulliana Caroli Julii Silligii, duae me vetuerunt rationes. Primum enim, ne hoc modo libri moles nimium crescat, in adolescentium usum destinati, qui, Burmanniana destituti editione, aliisque, majus quippiam, quam solum textum desiderant, magnopere verendum fuit. Deinde vero, cum is nostrarum et omnium litterarum finis sit, ut eae progressus faciant, et quae nullius sunt usus, abjiciantur, supervacaneum duxi, leves calami in codicibus conscribendis aberrationes, apertas interpolationes, denique insulsas vel vanas et citra necessitatem factas editorum conjecturas cunctas apponi. Faciat hoc quis, qui Fischeriana diligentia praeditus, magis, quam ego, aliorum commenta transscribendo delectatur, in majore editione; in hac parva et nolui et potui facere. Quae nonnulla majoris momenti ex scripturae discrepantia omissa sunt, in addendis adjiciam. In eligendis autem virorum doctorum emendationibus, id spectavi, ut, quae maxime probabiles viderentur, adderem; nonnullas, quamvis minus necessarias, propter elegantiam et sagacitatem dignas habui, quas describerem. In quas

heinsii inprimis et Marklandi divinationes refero, quae semper fere vel ab eruditione vel ab ingenii acumine commendationis aliquid habent. Quid autem Gebhardi, obsoletarum vocum et rancidarum amatoris, conjecturas, quid Palmerii et Gruterii interdum delirantis, quid porro ipsius Scaligeri et Broukhusii omnia commenta, ab ipsis, sat scio, nunc improbata, quid denique Burmanni emendationes cunctas commemorare attinuit, quas ipse *poetici ingenii exercendi causa* ex parte factas esse professus est? Lachmannianae tamen conjecturae, utpote editionis recentissimae, integrae adjectae sunt, ut de iis amplius disputetur. Permulta vero recentioris temporis sciens praetermisi, quod moneo, ne quis ex ignoratione factum putet. Quibus etiam nonnulla a me adnumerari, a Frederico Jacobsio Gothano aliquando excogitata, nemo mirabitur, qui reputet, ea in aetate, ubi fervidius esse solet ingenium, multa et temere et audacius tentari, quae tamen non iterum atque iterum refellenda, sed oblivioni tradenda censeam. Quid autem mirum in tali viro, qualem esse Jacobsium non modo philologi, sed omnes ab humanitatis sensu non prorsus alieni ipsumque alterum sexus, admirantur, et cui in crisi, quam vocant, conjecturali nemo par, proximus aliquando Jonathan Toupius fuit, ab hoc igitur viro juvenili aetate plura tentata esse, quae minus auxilio indigerent? Talia igitur ex parte omisi, pariter ac supervacaneum duco nonnullorum interpretandi genus, qui in operose refellendis eorum opinionibus sibi placent, qui pro saeculo suo docti viri multa scripserunt, quae nunc vel trita et pervagata, vel sic comparata sunt, ut error statim in oculos incurrat. Equidem certe non intelligo, quomodo litterae incrementum capiant, si in unoquoque loco explicando, priusquam recentiorum doctorum interpretationes in examen vocentur, tamquam rite, vetustissimi cujusque opinio iterum atque iterum refellitur. Tua sunt, vir illustris, et, puto, uniuscujusque cordati hominis verba in Conjectaneis p. 181: *Quae in hoc genere peccata sunt a doctis ceteroquin grammaticis antiquioribus, ea lubens praetermitto. Cur enim, ut exemplo utar, Grotium objurgem — — —? Non faceret ille, si hoc tempore vi-*

veret. Pari modo eas omisi conjecturas, quae ad locum ab aliis jam bene restitutum spectant. velut. I, 15, 29:

Muta prius vasto labentur flumina ponto

Hoc in ἀδυνάτῳ libri *multa* habent: *muta* Muretus correxit, neque ultra quidquam tentandum. Omisi igitur, quod Gilberto Wakefieldo, ingenioso viro, in mentem venit ad Lucret. I, v. 1084:

Pulsa prius vacuo labentur flumina ponto

vel Hermanno Boschae Symbol. crit. in Propertium Vol. I Actor. Soc. Ultratraj.:

Nulla prius vasto labentur flumina ponto.

Quid enim inde lucrabimur? *Muta* et *multa* facillime permutantur, ut apud Catullum XII, 8:

Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit; est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.

Vossii Vaticanus, optimus liber, *multari*, quod unice verum. Nescio quid sibi velint Doeringius et, qui illi assentitur, Silligius, *mutari* vel hanc ob causam praeferendum esse, quia deceat fratrem, quovis pretio fratris culpam redimere velle, illud autem *multari*, parum honestum fratri esse. Primum autem non credo inhonestum votum esse, ut quis furti causa et, ut in posterum ab hujusmodi rebus abstineat, multetur, deinde vero et quod gravissimum est, qui sunt lepores et facetiae ex illorum interpretatione? Sed *multari* hoc docet. Jocose optat, ut illi factum malum male eveniat. — Contuli vero editionis Burmannianae censuram, quae in Bibl. Crit. II, P. 2 ipso Wyttenbachio auctore prodiit, quod apparet ex Vol. III, P. 4 p. 48 sq., ubi Addenda ei inserta et e Ruhnkenii dictis in Addendis ad Platonic. Lexic. Timaei, quod Lachmannum fugisse videtur. Deinde cum Santenii ad Balbum observationibus, quae extant, vel potius, ut Huschkii verbis utar ad Tibullum p. 44, latent, in Miscellaneis litterariis sub Rochii quondam auspiciis Lipsiae editis n. 186 p. 1785 sq. potiri non possem, usus certe sum excerptis, quae Beckius Comment. Societ. Phil. Lips. Vol. II, P. I p. 145 sq. dedit. Ex iis observationibus criticis,

quae in Actis Societatis Ultratrajectinae Bosscha, Slothouwerus, Sterkius alii ediderunt, pauca annotare potui, cum sero mihi innotuerint. Neque tamen doleo, nam sunt plerumque non magni momenti, ut vel ipsa exempla, quae in observationibus meis excitavi, docent. Bosscha complures Lachmanni conjecturas occupavit, quod illum praeteriit. velut II, VI, 29 (14, 33):

De me, mi certe poteris formosa videri.

Per te leni, sed eadem levi, conjectura duo illi. Sententiae haec est: Mihi certe, alios enim non moror, semper nativo colore places; talis enim est meus his in rebus sapor, ut nihil poscam te, nisi praesentiam tuam. In textu igitur constituendo, cum proprium censum, ut jam dictum, agere et nollem nec possem, ita versatus sum, ut antiquiorem scripturam, quam Lachmannum recte interpretatum esse videram vel quam ego bene defendi posse putavi, reciperem; aliis vero locis propter incertitudinem vulgatam retineri satius duxi; aliis librorum scripturam, quamvis aperte vitiosam, si vel plures pariter probabiles emendationes oblatae erant vel nullus suffecit conatus, praetuli, denique nonnullas conjecturas Marklandi, Burmanni, Huschkii, primus in verborum consequentiam intuli.

Lib. I, 17, 3:

Nec mihi Cassiope solidam visura carinam est.

Sic edidi e Wyttenbachii conjectura, quam iccirco Lachmannus improbat, quia *solidus* p. *integer* non diceretur et omnino hoc v. otiosum esset. Quod ad prius attinet, v. Colvium ad Appul. Met. X p. 707 ed. Oud. et alterum mehercule non video otiosum esse in ore naufragi fractam navem querentis.

I, 18, 27. *divini fontes* reposui, cum vulgata *di, vivi fontes,* quia suave hoc sit, a poetae mente, ut recte Lachmannus monet, abhorret. *Diis consecrati* Alexander Syncliticus in annotatione ms. ad edit. Rheg. Lepid. exposuit; recte quidem, út *diva mulier* saga vocatur, sed non convenit sententiae. Cum vero, quae e conjecturis eligenda sit, difficile videretur, codicum scripturam retinui.

Libro II, 1, 31:

Et canerem *Cyprum* et Nilum cum tractus in urbem

Cyprum pro *Aegyptum* restitui, cujus mentio, ut observat Lachmannus, jam sequentibus facta est. Itaque hic *Et canere inciperem* scripsit, acute profecto. Sed Cypri et Aegypti fata cum fere semper conjuncta essent, praesertim illo tempore, v. Meursium in libro de hac insula II, 1, 20, non rejicienda videtur haec codicum et editionis principis scriptura. *Aegyptum* ceterum jam ed. Rheg. Lepid. habet.

II, 8, 15:

Nec si qua Arabio lucet bombyce *puella*

cum V. D. in Misc. Obss. I p. 134 *papilla* corrigendum esse, jam in Observationibus significavi. Sic ejusd. libri el. XXI, 7:

Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
 Candida *non tecto pectore* si qua sedet.

Lachmannus non inepte *Nec sic A.* sed structura orationis laborat, et cum de corpore tantum agi videatur, aliena vestium est commemoratio. Contra III, 12, 23 et 24:

Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
 Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

nihil tenfo, explicans: Hic nulla puella talis est, qualem fidam Evadnen et piam Penelopen fuisse referunt. Duplex negatio pariter ac II, 18, 5. 6 cf. Bentl. et Ruhnk. ad Terent. Andriam I, 2. 34. Huschkium Analect. Litt. p. 49. II, 5, 4 (4, 4):

Haec merui sperare? dabis mihi, perfide, poenas,
 Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.

Recepi palmariam Petri Burmanni emendationem *alio* p. *Aquilo*, quam ter eruditorum examini proposuerat, cum in Miscellaneis observationibus, tum in annotationibus ad Lotichium et ipsum denique Propertium. Faciliore medela Lachmannus usus erat scribens:

Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.

in quam conjecturam etiam Bosscha incidit in Obss. crit. ad Prop. Actis Societ. Ultraraj. III, p. 209. Magnopere tamen verendum est, ne striblíginem inferant orationi. Cum enim *aliquis* natum sit ex *alius quis*, ut Tulliani et Liviani loci docent v. Ern. Clav. Cic. s. v. et

ad Tacit. Annal. I c. 4 quem locum laudat etiam Bosscha, *aliquo* significat *alium in locum*, praecedenti loci alius commemoratione. Sic in loco quem Lachmannus et Bosscha attulerunt, Bruti ep. ad Cic. XI, 1: *Cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror.* Geminus est Livii locus XXIV, 29 §. 10: et *Hippocratem atque Epicydem obire seu Locros seu quo alio mallent*, adde XXXIX, 18, 6. Speciosius pro illorum sententia Cicero ad fam. VIII, 30: *quin hinc ipse evolare cupio et* aliquo *pervenire* ubi *aliquo* ad *hinc* referendum pariter atque in Terentiano Heaut. III, 3, 11: *Concedas hinc aliquo.* Contra Statius rectissime Silv. IV, 8, 57:

procul atra recedat
Invidia atque *alio* liventia pectora flectat.

Et Propertius ipse II, 14, 35:

Quam possim nostros *alio* transferre calores.

Omnino autem litterarum similitudo non ita hoc loco urgenda videtur, cum *Aquilo* ex interpretamento *ventus* vocis quam ex male scripto *alio* ortum esse probabilius sit.

II, 10, 2:

Et campum *Aonio* jam dare tempus equo.

e Heinsiana emendatione pro *Haemonio* dedi. Assentitur Lachmannus, quamquam vulgatam retinens, cujus exemplum non secutus sum, quia ista correctio proxime ad litterarum ductus accedit neque ulla probabilis vulgatae explicatio prolata est.

In eadem elegia v. 12 cum Broukhusio ex uno Groningano *erat* p. *erit* recepi:

Pierides, magni nunc *erat* oris opus.

qua exquisita scriptura non verendum fuit, ne ab interpolatore exorta sit, quippe qui magis singulorum verborum quam grammaticae structurae scientia polleret. Tu ipse, doctissime vir, de hoc imperfecto praesentialem significatum assumente monuisti ad Oed. R. p. XLVI et mecum facit Huschkius ad Tib. III, 1, 1. Nescio cur Lachmannus hoc imperfectum tempus significare *jam pene aut proxime elapsum* contendat, praesertim cum ipse III, 14, 11 *erat* p. *erit* e Livineji conjectura, nullo tamen, si quid video, sententiae mo-

mento, ederet et per *est* exponeret. In eadem re eodem modo Ovidius Amor. III, 1, 23:

Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri.

II, 12, 47:

Si tam longaevae minuisset fata senectae.

Sic edd. Beroaldi, Volsci, Gryphianae, aliae; quod retinui, dum certi aliquid de toto hoc loco perquam difficili allatum sit.

II, 21, 44:

Quod quaeris, *curae* non habet ullus amor.

Sagacissimam Huschkii emendationem pro *qua re* in ep. cr. ad Santen. p. 52 prolatam recepi. Patrocinium vulgatae scripturae frustra recepit Lachmannus.

III, 12, 10:

Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque *gerunt* fastus, Icarioti, tuos.

Pro vulgato *terunt* e Guyeti et Scioppii emendatione, Ruhnkenio probata, *gerunt* reposui. Broukhusii *terunt* defendentis exempla vel potius exemplum, nihil probat. Vulpius: *eadem*, inquit, *via incedere, qua Penelope, in ejus vestigiis pedem ponere.* Quod exemplis erat confirmandum. Vitium bene est correctum, quod dudum e Senecae Troadib. v. 1082 Gronovius secutus Florentinum librum sustulit et ante Lipsius. Adde eundem Gronovium in Diatribe p. 367 sq. ed. Lips.

Contra veterem scripturam, quamvis sensu cassam, reduxi

I, 16, 13:

Has inter gravibus cogor deflere querelis.

Ex Passeratii codice et Heinsii Excerptis vulgo *haec* editur. Sed praecedens distichon:

Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et secli vivere luxuria.

non contemnendis rationibus ut spurium impugnavit Lachmannus. Certe Huschkii exempla ad Tib. II, 4, 17 huc non faciunt: nam in his enuntiatio per *et* cum praecedentibus conjuncta, quasi unum faciunt enuntiatum, qui usus *et* copulae nobis etiam est; contra in illo

disticho diversae plane res conjunguntur. Vide autem, an ad hoc dicendi genus ea loca pertineant, in quorum hypotasi verbum contrarium intelligitur v. Walchium Emend. Livian. p. 229. Et sic plane Lactantius in re simili Institut. epit. ad Pentadium c. LXIIII, 15: *Sed hoc praecepto non solum corrumpere alienum matrimonium prohibemur — verum etiam prostitutis corporibus abstinere.* cf. Herm. ad S. Oed. T. v. 817. Cum vero quaestio de hoc disticho nondum ad finem perducta videretur, correctione *haec* repudiata, codicum scripturam typis imprimi curavi. Eodem modo

III, 6, 50: *Effultum* loco perquam obscuro, restitui, quod vitium *effulto* corrigendo Scaliger conatus est, *et fultum* Lachmannus; lacunam statuit Vulpius.

IV, 7, 25:

Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et objectum tegula curta caput.

quod distichon cum Vulpio eo loco, quo in codicibus legitur, reliqui, licet non sine verisimilitudinis specie ante v. 21 transpositum sit. De *tegula curta* omnia incerta, sed custodis mentio facit, ut commode de funere verba intelligi possint. Lucanus verbi causa VIII, 744:

Corpus vile suis nullo custode cremantes.

Et arundo fissa fortasse ad siticines pertinet de quibus Gellius N. A. XX, c. 2: *Siticines appellantur, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos et sepultos eosque habuisse proprium genus tubae a ceterorum abhorrens.* cf. D'Orvillium apud Burm. ad h. l.

Quod attinet ad versus, uncinis inclusos, in editionibus ante Lachmannianam nullum versum his signis notatum esse, tenendum est. Lachmannus vero plura disticha inclusit, quod suo loco annotatum. De his nolo nunc disputare, praeter unum locum, de quo nuper Huschkius verba fecit in Anal. litt. p. 340. Est II, 28 (21) 53. 54:

Sunt apud infernos tot milia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.

Vobiscum est Iole *), vobiscum candida Tyro
Vobiscum Europe nec proba Pasiphae,
Et quot *Jona* tulit, vetus et quot Achaïa formas,
Et *Thebae* et Priami diruta regna senis.

Sic vulgo e Scaligeri emendatione legitur. Pro *Jona* codices constanter *Troja* nec aliter editiones veteres: pro *Thebae* iidem *Phoebi*. Sane aptissima conjectura foret *Jona*, si hic metaplasmus defendi posset. Quod cum non videatur fieri posse, acutissimus vir, Immanuelis Huschkius, sic praeclare conjecit:

Et quot *Phthia* tulit, vetus et quot Achaia formas.

lectione nisus codicis Scaligeriani, qui *Hioa* habet. Originem corruptelae idem scite commonstravit. At primum, cum poeta *veterem Achaiam* commemoret, jam hac Phthiae simul mentionem fecit et sic, ut unum populum, incolas conjungit Homerus Il. *β*, v. 683. 684:

οἵ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα
Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.

Deinde vero non nimis illius codicis scripturae confidendum est, quem saepenumero aperte vitiosum esse satis constat. Fortasse igitur sic legi posset:

Et quot *Thraca* tulit, vetus et quot Achaia formas.
Phobea et Priami diruta regna senis.

Thraca p. Thracia ab Horatio ep. I, 3, 3 et Ovidio dicitur. Ad Thraciam autem Macedonia pertinuit v. Thucydid. II c. 29. Heyn. ad Apollod. Obss. p. 331. Morumque ad Isocratis Paneg. c. IX. Justinus l. VII c. 3 de Dario: *mittit cum parte copiarum Megabyzum ad subigendam Thraciam, ceteraque ejus tractus regna; quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia.* Ipsiusque Thessaliae et Boeotiae pars Thracia vocabatur cf. Vossium ad Catullum p. 195. Erant autem Thraciae mulieres nobiles, cum fabulis velut Prognes et Philomelae, tum Bacchantibus ut Ovid. l. Amor. 14, 21:

Tum quoque erat neglecta decens, ut Threcia Bacche

---

*) *Antiope* tacite Huschkius l. l. e Perrejano, Colotiano aliis. v. annot. crit. et sic etiam Vossius affert ad Catullum p. 237. Quod vero idem dicit, ab Homero Od. *Λ* utrasque conjungi, intelligendum est, Odyssea de Tyro loqui v. 235—60, de Antiope autem v. 260—265. Praestare sane videtur Antiopae commemoratio.

ipsiusque Jovis furtis teste Nonno l. VIII Dionys. v. 65, ubi Mars de Jove:

οὐδὲ ποτ' ἔλθῃ
Γαῖαν ἐς ἡμετέρην ποθέων Βιστωνίδα κούρην.

Et cui non dicta Eurydice? Lemnii etiam viri, spreto suarum matrimonio, *Thressas* duxerunt uxores v. Hygin. f. XV. Anacreon etiam νή, init.

Πῶλε Θρηϊκίη, τί δή με
λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα
νηλεῶς φεύγεις κ. τ. λ.

Nota sunt Horatiana III, Carm. IX:

Me nunc Thressa Chloe regit
Dulces docta modos citharaeque sciens

nec pulcritudini earum obstat mos Romanorum, ex quo ignominiosum habebatur e matre Thressa natum esse cf. Oudend. ad Appul. Met. l. IV p. 274. Sic igitur poeta totum tractum occidentalem describeret, ut in secundo praecipuam orientis partem. In hoc pentametro, quem intactum dimisit Huschkius, *Thebae* Scaligerianum rejicio, quia haec urbs jam sub Achaia intelligenda est. Corruptela autem sic nata est: cum *et* omissum et ad marginem pictum esset, alius, cum *et Phoebea* metrum violare intellexisset, *et Phoebi* correxit. *Phoebea* autem Priami regna commode vocantur, quippe qui *Trojae munitor* fuit, ut Ovidius loquitur Heroid. V, 139 et bene multa sunt in Iliade loca, quae Phoebi in Trojanos patrocinium testantur. *Phoebea regna* sunt vero non solum regna ab Phoebo amata, ut Daphne vocatur Ovidio *Phoebea virgo*, sed omnino, quae est horum adjectivorum indoles, regna sunt, quibus cum Phoebo mutua est societas v. exempla Virgiliana apud Günther. ad Corn. Miltiad. VIII, 1, quae facili negotio augeri possunt. Haec habui de hoc loco dicere, quae si non omnino egregio viro, Huschkio, displicuerint, impense laetabor. Ceterum hoc distichon immerito ab Lachmanno obelo notatum esse, non pluribus demonstrare opus erit.

Nostra in editione nihil inclusum est, nisi II, 22, 28, de quo v. cf. Lachmannum, deinde III, 21, 7 et 8, 25 usque ad finem, ubi cf. c. I Obss. et deinde II, 1 v. 37. 38:

Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.

Grammaticam structuram vehementer laborare, complures intellexere; quapropter Lachmannus corrigit: *superis ceu fatur Achilles.* Sed damus, *fari alicui aliquid* dici, quod tamen ille non probavit, ipsa sententia perversa est. Quomodo sanus potuit Propertius se Maecenatemque cum Theseo et Achille comparare? qui, ut de diversa conditione taceam, modo in Maecenatis notitiam venerat. Quam multo aptius auctor elegiae in obitum Maecenatis, quamquam non optimae aetatis, hunc loquentem inducit de se et Augusto, non ita distantibus, quam Maecenas et Propertius. Hoc certo certius est, distichon esse ab h. l. alienum; an transponendo, quod Burmannus voluit, sed in locum non satis aptum, res confici possit, dubito, cum versus ab ipso poeta profectos esse vix credere possim. Quid enim sibi velit, Theseum inferis, Achillem superis testari, cum Mureto ignoro, cujus ingenium elegans in hoc loco offendisse laetus video.

Libri II el. X init:

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis

lacunae signa, Lachmannum secutus, posui, qui *sed* pro *at* dici recte negat; ajebat tamen Vulpius, vir optimus, cui assensit Nobbius p. 41. Quod hic *sed* cum *ἀλλά* comparat, recte quidem se habet, sed qua hoc fiat significatione, meliora eum docere poterat Heusingerus ad Cic. de Offic. p. 83. In ipso autem hoc loco nihil, nisi egregie fallor, excidit; incertum est tantum, utrum pro *sed* scribendum sit *at* an *jam.* Primam enim versuum vocem saepe diductam a relicuis positam esse vel etiam prima scriptione omissam esse, ut a calligraphis deinde apponeretur, satis inter illos constat, quibus vel mss. vel antiquitus impressos libros videre contigit ac praesto est Schraderus annot. in Obss. p. 58.

Denique de orthographia dicendum est, in qua pauca mutavi, illorum memor, quae Heynius solito majore diligentia in praef. ad ed. Virgilii maj. II p. XLIII sq. disputavit, nec alia se habere vir multiplici et accurata scientia instructus, Henr. Car. Abrah. Eichstadius ingenue confitetur, praef. ad Lucret. p. XXII, quibuscum consentit Ernestus Wunderlichius praef. ad Virgil. p. XII, ut de aliis taceam. Plurima hac in re ab Lachmanno novata sunt, ex quibus id unum servavi,

quod in terminatione accusativi pl. tertiae declinationis *is* pro *es* posui in verbis, quorum genitivus *ium* habet cf. Hand. ad Statii Silv. I, 2, v. 276 et Garatonium ad Cic. Philipp. II c. 22, qui *tris* judicio et dilectu permultis locis Tullio restituit. Gellii autem praecepta in insigni c. XX l. XIII quomodo nos recte sequamur, difficile dictu est. Aurium enim judicio nihil magis lubricum et quantopere hac in re erratum sit, satis constat. Quae autem Lachmannus praeterea mutavit, ab his nihil recepi nisi quod *milia* scripsi, Groninganum secutus et sic semper apud Gellium codex Guelferbytanus a Lione collatus cf. etiam doctum hujus Gellianae editionis censorem in ephemerid. litt. Halens. n. 49 p. 387. A. 1827. An etiam *mile* scribendum sit, nolo affirmare. *O* pro *u*, ut volgus et similia, scribit Lachmannus, quae scribendi forma, cum sonori aliquid habeat, nescio an satis elegiaci carminis mollitie conveniat et praeterea *o* p. *u vetustissimos* Romanos posuisse testatur Priscianus I c. VI p. 34 ed. Krehl. quem vide. Neque etiam *quotiens* scripsi, quod tamen non damnem et sic Appuleji semper habent codices. Simul tamen meminisse debemus, *n* a librariis saepe insertum esse verbis temere, ut *thensaurus* p. *thesaurus* aliaque inveniantur, quod Drakenborchium commemini alicubi docere ad Livium. *Suaviari* etiam et *suavia* intacta reliqui nec cum Lachmanno *u* extrusi, licet *saviari* vel *sabiari*, non *suaviari*, in ejusdem Appuleii libris mss. legi referat Oudend. ad Metam. II p. 113 et *saviari* Meleagri praebeant libri apud Catull. XLV, 12: Item *nec* et *neque* pariter non mutavi, ac *tum* et *tunc*, in quibus vocibus Lachmannus Vossii praeceptum dudum nunc explosum secutus est. Sunt ea verba aperte in quibusdam libris confusa; nihil tamen de eorum vi et differentia certi habemus, nisi hoc, prorsus nullam esse in eorum usu accuratius constituendo codicum auctoritatem, ut Handius probe statuit ad Stat. Silv. I, 3, 10 aliter atque Huschkius, qui annotatione ad Tibull. I, 1, 21 nimium fidere videtur libris mss. ipse tamen se corrigens ad I, 8, 45. Neque etiam ante *s p* in b mutavi, ut apud Lachmannum legitur: scribsi, labsus et quae alia sunt, quod diserte Priscianus vetat l. I p. 53 ed. Krehl. quem locum contulisse operae pretium est. Contra reduxi antiquam

Prisciani testimonio l. X p. 897 ed. Putsch. p. 499 ed. Krehl. corroboratam scripturam p in perfectis et supinis verborum in *mo* cum longa penultima desinentium: *sumptus*, *emptus* et alia. Item *pene* scripsi pro *paene*, quemadmodum *ne* pro *nae* scribendum. cf. Faern. ad Terent. Andr. pr. v. 17 et Ernest. ad Cic. Verrin. IV c. 87. Quae vox fortasse I, 15, 33 latet:

> Quam mihi ne viles isti videantur ocelli,
> Per quos saepe mihi credita perfidia est.

Legitur quidem hoc *ne*, quod sciam, non in poetis Elegiacis, sed inferre certe voluit V. D. in Catullum LXIII v. 68 (v. Silligium) in Propertium II, 11 (12) 22 Gebhardus quem v. et Mitscherlichius Lectt. Catullianis p. 148 in eundem poetam II, 5, 15:

> Ne (nae) tu non aliquid vel prima nocte dolebis.

ubi *vel* Heinsii est pro *sed* librorum scriptura emendatio valde probabilis, nisi *et* magis placet. In illo vero loco nunc editur: *Quamve mihi viles* etc.; *quam mihi ne* autem est in Gr. Leid. II, Voss. IV, Regg. *nae* in Neap. II. *Quam tibi ne* in relicuis. Nihil igitur impedit, quominus scribamus:

> Quam mihi nei viles isti videantur ocelli.

Schulzii conjecturam ab Lachmanno receptam: *Nam mihi ne* vix intelligo. Ceterum ad sententiam conferendus Valckenarius scriptione I de ritibus jurisjurandi p. 29.

In nominum propriorum terminatione item Lachmannus complura mutavit. Equidem libris obtemperare malui. Sic *Praxitelen* scripsi III, 8, 16 e Neapolitano cum Lachmanno, *Aenean* e bonis libris Bononiensi et Groningano IV, 1, 2 et *puppim* ut Leidd. Gr. O. 2, B. 2, Voss. 3. IV, 6, 29. In *Parim* vel *Parin* scribendo parum constantes sibi fuisse Propertii editores notat Huschkius ad Tibull. I, 7, 27 e Charisio terminationem *im* probans. *Parim* edidi, ut ceteri, II, 32, 35; ubi cf. Lachm. p. 217 ed. suae. *Parin* contra, ut relicui et Lachmannus, III, 1, 30 et III, 12, 63. *Parim* tamen utroque loco editio princ. habet, quod si prius cognitum habuissem, *Parim* item edidissem. *Anubin* retinui III, 10, 41 et mox *Tiberim*; *Anubim* e Neapolitano Lachm. praetulit cum Huschkio l. l. cujus tamen dicta

ex parte corrigas e Schneidero Gr. L. II, 1 p. 298, quem v. Nihil mutavi in terminatione *ei* et *i*, *Achillei* et *Achilli*, *is* et *i*, *Ulyxis* et *i* v. eund. Schneiderum I, II p. 164 et qui terminationem *i* permultis Tullii locis restituit Angel. Maium ad libr. I de rep. c. XIV et de terminatione *a* et *e* (Eriphyla et Eriphyle) in qua permulta novavit Lachmannus, cf. prolixam Oudendorpii annotationem ad Appul. Met. II p. 96 et 97. Pari modo libris obtemperavi III, 22, 26 cum Lachmanno *lympha* scribendo pro *nympha*. Contra III, 15, 4:

Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus

edidi, ut in Reg. Colb. II optimo Bononiensi edd. pr. et vulgg. legitur. Lachmannus *lympha* cum ceteris libris II, 32, 15:

Et leviter tota *lymphis* crepitantibus urbe

cum Groningano et plerisque codicibus *lymphis* Lachmannum secutus edidi. Vulgo *nymphis*. In tribus his locis *nymphae* Handius ad Gron. Diatr. p. 179 praefert, sed nondum plane persuasit. Adde eund. ad Stat. Silv. p. 389.

Ceterum in observationibus criticis quam maxime brevitati studui, ut pene verear, ne ab hac parte nonnullis nimius fuisse videar. Ac probe quidem teneo quod insignis ille Wolfius elocutus est in praef. ad. Mureti VV. LL. p. VI: *Qui ergo critici, exemplo Mureti, conjecturas et emendationes suas explicatius perscripserunt, ii fere tum quoque, quum errant, melius erudiunt, quam quorum nuda edicta sunt hoc genus:* Sic scribe, sic lege, *aut, quod ne Latinum quidem est,* forte legendum. *Illa ratio notas Bentleii in Horatium et paucos aliorum ita commendat, ut earum utilitati vel absolutissima praeceptio artis criticae cedere videatur.* Sed eorum ratio, quorum usui hanc volo destinatam esse editionem, me ab omni verbositate deterruit. Omnino autem sunt in hac re permulta, quae melius sentiri, quam dici possunt. Pari modo etiam diligentissime cavi, ne aliena pro meis venditarem et si fortasse nonnulla sunt, in quibus qum aliis vel erravi vel recte egi, id sine consilio a me pro summa mea his in rebus religione factum esse, certo affirmare possum. In locis etiam, quae ad probandam emendationem vel sententiam spectarent, adducendis, quam maxime parcus

fui; multa prudens praetermisi nec, quae attuli, ex lexicis et indicibus congessi. Multi etiam me de aliorum scriptorum locis in obss. agere, vituperabunt; sed, ut hoc ab justo commentario alienum duco, ita aptum in observationibus, quas, ingenii et lectionis specimen, edere volui. Nunc, priusquam ad finem properemus, nonnullorum Propertii locorum, quos temere tentatos vidi, defensionem adjiciemus.

I, 9, 13:

Quare, si pudor est, quam primum errata fatere

Ni male in omnibus atque etiam in hac editione; *Et si* e conjectura sua edidit Lachmannus. At recte se habet codicum lectio, ubi *si* p. *etiamsi* accipiendum, quemadmodum hunc locum mecum interpretati sunt Huschkius Anal. litt. p. 45 et Jacobus ad Lucil. Aetn. v. 458. Adde Meinerum in conspectu particularum Latt. s. *si* p. 456. atque Weber. ad Juvenal. p. 288.

I, 20, 49:

Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi

Non mutem tamen, Gronovius rectissime in Obss. dixit. III, c. 8, cujus utinam vocem audissent interpretes. Aperte versus spectat ad Theocritea in Hyla v. 58:

Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός.

Similiter *iterare aliquid* pro *voce impellere* Statius l. V Thebaid. v. 407 et *iterare metum* p. *augere* Seneca Troad. v. 626. In universum enim *iterare* ita ab Romanis usurpatur, ut nobis verbo adjecto vertendum sit, velut Ael. Lampridius Heliogabal. c. XXXII: *Calciamentum numquam iteravit, annulos etiam negatur iterasse*, et de aratione Columella II, 4, 4 *iterare* et *tertiare agros* conjungit.

II, 8, 40:

Mirum si de me *jure* triumphat Amor?

Frustra Wyttenbachius cum Fonteinio pro *jure* scribi voluit *Tulle*. Vult poeta: Si hi heroes Amori resistere non valuerunt, quanto minus ego? quanto majore jure ego illi servio, qui ruit in κτήματα, ut cum Sophocle loquar in nobili Antigonae loco v. 776, quicum Plato facit Phaedone p. 62, b HSt: ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώ-

νους ἐν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι. Sententia pervagata. Virgilius Ciri v. 9 sqq.:

Non tamen absistam coeptum detexere munus,
In quo *jure* meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem

ubi Heynius, cur in *jure* offendat, prorsus ignoro. Ut hic *jure*, sic I, 9, 7 *merito* dicitur:

Me dolor et lacrimae *merito* fecere peritum.

Qui versus simul luculenter docet, quantopere doctissimi viri in re apertissima falli possint. Negavit enim Burmannus, *peritum* absolute poni et versum igitur corrigere voluit; Lachmannus, se opponens, exemplum adduxit, quo *peritum* sic dici doceret, ubi tamen *usu* ad *peritum* pertinet; igitur alienum est exemplum. At nihil frequentius hoc usu; nolim Forcellinium exscribere, exemplis plenum. Ut unum afferam exemplum, ab illo non annotatum, Livius XXIII, 25, 6: *Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, a peritis quaesitum est*. Periti sunt rei militaris scientia imbuti.

II, 26, 7. 8 (22, 28. 29):

Multum in amore fides, multum constantia prodest;
Qui dare multa potest, multa et amare potest.

Minorem versum a *nebulone* additum esse, Broukhusius suspicatur; *non et amare potest* Santenius conjecit, meliore certe sententia, quam, quod Marklandus voluit *negare*, cujus vocis hoc in loco significationem exputare nequeo. *Stulte et negare potest* Burmannus divinavit. Sed nulla est conjectura, quae satis accedat ad litterarum ductus, neque etiam ea opus est. *Multa amare* Graecismus est et idem significat quod alioqui, *fortiter*, *ardenter amare*. *Multum videre* p. *clare* v. Hyginus f. XIV p. 48 ed. Munck. et e probabili Bahrdtii conjectura ead. f. p. 40. *Multa* p. *multum* dici constat e Forcellinio s. v. et Wunderlichio ad Tibull. I, 6, 7. Quae tamen significatio non semper obtinet, sed saepe est *frequens* v. Ruhnk. ep. cr. II p. 142 Burmanno assentientem ad Grat. Cyneg. v. 493, quem tamen versum Burmannus explicare supersedebat; pravam Johnsonii interpretationem tacite Wernsdorfius dedit. Sic Graeci non solum πολλά, sed etiam μυρία λατρεύειν, ut Dioscorid. ep. IV, de quo Jacobsius ad Anthol. Gr. I

P. II p. 369: *elegans*, inquit, *est v.* μύριος *usus, ubi de numero ad magnitudinem transfertur.* Repetitio autem ejusdem vocis in eodem versu plane Propertiana est, v. exempla ab Bahrdtio prolata praef. p. XXX, sumptaque est ea ab Callimacho. v. c. H. in Jov. v. 55:

Καλὰ μὲν ἤεξευ, καλὰ δ' ἐτράφες, οὐράνιε Ζεῦ.

Multa autem dedit poeta, cum fidelem se et constantem praeberet. Amorum magister III, 8, 62:

Imperat ut captae, qui dare multa potest.

Ad illam repetitionem id genus dicendi pertinet, quo verbum, in quo desinit hexameter, pentametri facit initium. Multus est in hac re Callimachus, praesertim Lavacro Palladis, multus item noster, ut II, 34, 85. 86:

Haec quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
Varro, Leucadiae maxima flamma suae.

adde II, 7, 17. IV, 9, 69. 71 et permultis aliis locis, quae coacervare non attinet. Additur autem hac figura, caute adhibita, orationi dignitas quaedam et gravitas, quocirca Juvenalis saepe sic loquitur. Ovidius parcius ea utitur; cujus rei causa perspicua est. In Heroid. IX, 58:

Vidit in Herculeo suspensa monilia collo;
Illo, cui coelum sarcina parva fuit.

Pro *illo* ex uno Heinsii libro *collo* V. D. in Misc. Obss. V, 3. p. 73 non male; sed vulgata jam idem significat. Contraria positione est ejusdem in duobus trimetris vocis repetitio, quam Tu perstrinxisti Com. Crit. ad S. Oed. C. v. 70. 71. Quod ad genus, quomodo Euripidis versus pertineant in Troad. 85. 86.

ὡς ἂν τολοιπὸν τἄμ' ἀνάκτορ' εὖ σέβειν
εἰδῶς' Ἀχαιοί, θεούς τε τοὺς ἄλλους σέβειν.

Tu ipse videbis. Sic enim Augustus Seidlerus, candidissimus vir, edidit, in quo praeivit Burgessius Anglus. Autea conjunctim εὐσεβεῖν edebatur.

Breviloquentiam Propertii in omittenda apodosi Herm. Bosscha attigit in Actis Soc. Ultratr. T. III p. 209 atque Lachmannus ad II, 6 init. quem eo magis miror tentasse III, 10, 5:

Venturam melius praesagit navita noctem,
Vulneribus didicit miles habere metum.

Optime in hoc loco Vulpius versatus est, quem eundem vide ad I, 5, 19. Nimirum navita procellarum et noctis signa bene novit, quippe ipsi maxime periculosa; miles autem, qui jam stipendia fecit, molestias bellique damna expertus, non tam hilari et omnia descipienti animo egreditur, qualis militi novo esse solet, qui cum Horatiano mercatore exclamat:

Quid enim? Concurritur; horae
Momento aut cita mors venit aut victoria laeta.

Neque etiam *metus* nimis urgendus est; est potius prudentia. Sic *timidus navita* pro *cauto* et *experto* Horatius I Carm. XIV, 14:

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit.

et pro *verecundo* Ovid. Fast. V, 411 et Met. V v. 100: *timidusque deorum.*

III, 14, 21:

Si deus es, tibi turpe, tuam servare puellam?

Hanc vulgatam scripturam retinui, pro qua ex aliis libris, Leidensibus Voss. I, III aliis (v. annot. crit.) Lachmannus *servire* edidit, in quo praeivit Valckenar. in Diatr. p. 65, A. At multo acerbius Jovi ingratus animus in nostra lectione exprobratur, qui, cupidine satiata, puellam non curat. Languida prae hac altera scriptura. Hanc in sententiam Juno alloquitur Juturnam apud Virgil. Aen. XII, 143, *diva deam* *)

Scis, ut te cunctis unam, quaecunque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile
Praetulerim.

Loci sensum interpretatione Heynius languidum reddidit. *Ingratum cubile* est pro quo nulla merx data est, nec obstat, in praecedentibus Nympham ab Jove auctam esse honore dici; sed haec sententia unice acerbae Junonis menti convenit, qua *alte reposta* fuit *memor ira* et pari modo *ingratum artificium* Petron. c. 53 ubi v. Burm. *Magnanimitatis* commemoratio cum *ingrato*

---

*) en, iterum exemplum, ubi nympha vocatur dea. cf. Obss. crit. p. 270. 271.

cubili conjuncta maxima est ironia, ut apud Catullum LVIII Lesbia

glubit magnanimos Remi nepotes.

cf. Ov. Met. II. 488 et IX, 302. Nulla fere vox frequentius male intellecta est, quam *ingratus.* Horatius l. I Sat. II v. 8 *ingratam ingluviem* dicit i. e. inde nullus fructus redit. Nam in gustatu, Tullio judice, Acad. Quaest. IV §. 20, *intelligentia, etsi vitiosa, est quaedam tamen,* ubi Ernestus et Goerenzius falluntur *vitiosam intelligentiam* accipientes pro *non perfecta, imbecilli.* Est potius inhonesta, turpis. Ita Tusc. Q. IV c. 7 perturbationes *definiunt pressius, ut intelligatur, non modo quam vitiosae, sed etiam, quam in nostra sint potestate.* Apud Ausonium ep. LXXI, v. 2 *vitiosa libido* est *turpis.* Hinc autem ducenda sunt haec gulae cognomina apud Suet. de Vitellio in ejus vita c. 13: „Intempestivae ac *sordidae* gulae homo" et apud Nemesian. fragm. de aucupio v. 28:

et *vili* dat praemia *gulae.*

Hoc significat Virgilius Eclog. I v. 35: *ingrata urbs* i. e. urbs, negligens accepta et mox consumens, et idcirco semper nova poscens. Interpretum opiniones de hoc loco parum probabiles sunt; praecipue Heyniana. Hoc modo vocis potestas vicina est *improbus* vocabulo, cujus vim breviter sed optime Salmasius explicavit ad Tertullian. de Pallio p. 184. Alii bene multi vel in eodem lapidem lavarunt vel lapsi sunt. *Ingratum* autem apud optimum quemque scriptorem id dicitur, quod nullam utilitatem fructumque fert. *Ingrata et irrita* saepissime Plautus conjungit ut in Asinaria 10. Lucret. I, 2, III, v. 950:

Commoda perfluxere atque *ingrata* interiere.

et v. 971:

Imperfecta tibi elapsa est *ingrataque* vita.

Horat. epist. I, 1, 23:

Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi graviter.

possis *ingrata tempora* explicare tamquam ea, quae nullum usum et fructum habent; propter comparationem tamen paullo ante institutam malim pro *invisis tem-*

peribus accipere cf. Plin. N. H. XII, c. 41 (18). Alia de *ingratus* monuit Bentleius ad Hor. II epist. I, 188, ubi etiam Callimachi epigramma quoddam affert, ab Valckenario deinde tractatum in Callimacheis p. 240 et editum in poetis Gnomicis Brunckii p. 192 ed. Schaeferi, qui ipse tamen perperam Valckenario obloquitur in v. 4 *τε* delenti. Est enim viae, qua cibi ex humano corpore egeruntur, naturalis descriptio.

IV, 1, 135:

At tu finge elegos, *fallax opus.*

Pellax Heinsius conjecit, quod Burm. et Lachm. probarunt. Passeratius vulgatam interpretatur: *aptum fallendis et excantandis puellis.* Quod reprobant sequentes vv.:

Militiam Veneris blandis patiere sub armis
Et Veneris pueris utilis hostis eris.

Paullo longius a vulgata scriptura abest, quod Santenius ad Terent. M. p. 316 voluit: *facilé est,* nec placet. *Fallax opus* explico: carmina, quae dolorem fallunt: *verbosa enim gaudet Venus loquela.* *Fallere* autem est Graecorum *βουκολεῖν*, de qua significatione tralaticia nunc sunt, quae Valckenarius monuit ad Eur. Hippol. v. 151, vel etiam *ποίμαινειν*. Theocr. Cyclop. v. 80:

Οὕτω τοι Πολύφαμος ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα,
Μουσίσδων· ῥᾷον δὲ διᾶγ' ἢ χρυσὸν ἔδωκεν.

Ubi cf. eundem Valckenarium. Cui amoris remedio famem adjicit Callimach. in difficillimo ep. XIV. *Fallax opus* igitur aptum est et idoneum, ut de Spe Ovidius A. A. I v. 445:

Illa quidem fallax, sed tamen apta dea est.

Minucius Felix c. XI, 9: „Omnia ista figmenta male sanae opinionis et inepta solatia, a poetis fallacibus in dulcedine carminis lusa" etc. Ceterum Heinsii praecipue aliorumque studio *pellax* et *pellacia* pro *fallax* et *fallacia* ubique intrusa sunt. *Fallacia vatum* apud Lucilium Aetna v. 39 item aliquando in *pellacia* mutata fuit.

V, 3, 49:

Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major;
Hanc Venus, ut vivat, ventila ipsa facem.

Recte Passeratius de conjugibus, quibus moechi opponuntur, accipit, quod vel solus Ovidii locus confirmat Heroid. VI, 43:

Non ego sum furtim tibi cognita;

Venus autem fuit thalamorum praeses, *εὔλεκτρος*. Speciosa est Lachmanni conjectura *aperte;* melior certe reliquis. Nihil tamen tentem. Ultimo denique loco pauca verba de conjectura quadam adjicere liceat, quam doctissimus Lucilianae Aetnae editor memoriae prodidit p. 217 ad v. 456 de Propertio II, 11 (9) 10, ubi de Cupidine:

> Et merito hamatis manus est armata sagittis;
> Et pharetra ex humero Gnosia utroque *jacet*.

Ille corrigit *jacit*, ita ut *utroque* sit in *partes diversas*. *Quis enim*, ait, *pharetram jacentem videt ex humero, quis ex utroque?* Uterque humerus sunt humeri, *ὦμοι* ut Homer. Il. A, v. 45:

> *τόξ᾽ ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.*

et de Amore Moschus Id. I v. 20: *καὶ χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον*. Virgilius Aen. XI, 774: *Aureus ex humeris sonat arcus* et saepe. *Jacere* autem *ex humero* idem valet, quod *pendere ab*, *de* vel etiam *ex humero*, ut Nemesian. Ecl. III (Calpurn. Sic. X apud Wernsdorf.) v. 5:

> Quem super ex tereti pendebat fistula ramo.

Ex autem paullatim *in* praepositionis significationem induit. *Ex equo pugnare* apud Tullium de N. D. II c 2 quod interpretatus est Laurent. Valla Elegant. V c. 19 et Germanice Meinerus libro de particulis s. v. quem omnino vide. Cic. de Offic. III c. 7 init. *ex superioribus libris satis multa praecepta sunt* i. e. secundum, unde *in* significat v. Heusing. ad h. l. et Ep. ad fam. VII, 8 quem l. Ern. laudat in Clavi. et Prop. IV, 6, 40. De Graeco *ἐκ* cf. Schaef. Mel. cr. p. 74. *Jacere* vero est otiosum esse, ut haec vox de agro inculto usurpatur, quod satis notum. cf. v. c. Columellam de cultu hortor. v. 74. Jacet accipiendum jacere videtur; nostris oculis jacet. Prorsus autem necessaria est haec vox propter sequentia, quae aperte causam reddunt, cur ante feriat, quam hostis cernatur, nimirum, quia arcus jacet, otiosus esse videtur. Jacobi *jacit* tautologiam infert, cum de sagittas jaciendo in sequentibus sermo sit, et simul causam tollit, qua hostem evitare prohibemur.

Haec fere sunt, vir illustris, quae prius monenda duxerim, quam Tu libellum in manus sumas, qui, ne sit prorsus indignus institutione Tua, vehementer opto. Ac simul id et Tu reputes velim et ceteri, quibus humanitatis studia cordi sunt, non eam mihi esse datam a fortuna conditionem beatam, ut in libris tantum versari et remotum esse ab turba vitae civilis liceat, sed aliis curis distractus horas tantum singulas impendere huic operi potui. Sed, quamquam certo scio, ex Tua disciplina et ingeniosiores me et longe doctiores evasuros esse, tamen id Tibi persuasum habeas, grato erga Te animo me nemini cessurum esse. Vale igitur, praeceptor dilectissime, et ut ego Deum O. M. qua decet, fide, precor, ut hilarem Tibi et vigentem aetatem cum Tua tum litterarum bonarum causa, proroget, sic Tu mihi meisque favere pergas laboribus. Vale.

Scriptum Berolini mense Junio.

Sexti Aurelii Propertii vita accurate expressa ex editione Rhegia Lepidensi 1481.

ORis quoque blandi habetur Sex. Aurelius propertius patria huic Mevania fuit ūbriae locus ē: qui Spoletum perusiamq; conterminat' patrem qui īter suos homines esset honorat' ⁑ ac dives amisit triumvirali potestate ⁑ Illis eīm ex dediticiis q numero trecenti × L × Antoniu; secuti essent ⁑ atq; perusia capta × jussu' Octavii ⁑ ad aram divi Iulii ducti ⁑ ac misere occisi sunt × et interfecto℞ corpora multis cum precibus postea īpetrata × Fortunae aute; bonis spoliatus 'simul ac patria pulsus' Romam se veluti coīūne ad domicilium ⁑ ac refugium cōtulit × Iam erat proptius q̄;tum p aetatem poterat litteris eruditus pronumq; ingenium ad metru; ⁑ et poetas habebat × Rome igitur adhesit × C × Maecenati ⁑ et Cornelio gallo multum hi poterāt apd' principem × Callebantq; litteris' nec difficile quos pitos videbant, pecuniis ⁑ et honoribus iuvabant × Proptii autem miserti sunt multum' nec dolendū erat nec dolendū erat pa℞q indolis egregiae iuvenis uno ictu servientis fortunae ⁑ patrem opes ⁑ patriam amisisset ⁑ Proptius vero ⁑ et si metri faciendi ⁑ ac poetandi 'quocūq; ingenere 'multum ⁑ et artis ⁑ et gratiae assecutus esset 'elegiaca tamen canere statuit × Sic eni; iubebant tempora × Libros igitur scripsit quatuor' de amore Cinthiae que miser℞ ipm̄ ocellis fecerat suis × Ficto tn̄ hoc nomine appellat Cynthiam 'q̄ vero nomine hostilis vocabatur × Vale gratissime lector ⁑ et memor Hieronimi Alexandrini mi ⁑ qui tibi tris vitas clarissimorum poetarum in lucem dedit Catulli *) Tibulli ⁑ et Proptii ×

---

*) Catulli vitam recudi doctissimus Immanuelis Huschkius jussit in Analectis litterariis.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In prooemio: p. VI l. 15 l. esse pr. posse. p. IX l. 3 l. ἀπρόσοδον p. ἀπρόσολον. p. X in medio l. γελᾶν p. γελᾶσθαι. p. XI l. 23 l. autumaverunt p. autumati sunt. p. XIII annot. l. 1 l. Strozis p. Stroziis. p. XIV l. 6 l. affectuum p. affectum. et ead. p. *Philetas* p. Philetos. p. XVI l. ult. l. corda p. cordes. p. XVII l. 7 l. Perrejanae p. Perrejani et corrige inde sequentia. p. XIX annot. l. 2. l. „Quam etc. l. 4 l. rugis p. nugis. p. XXII l. 2 l. dissecuit p. dissecavit et paullo post Wolfio p. Wolfium. ead. p. in annot. l. 2 l. operae nec pecuniae. p. XXIII l. 12 l. hic p. hac. l. 5 l. L. 4 p. C. IV. p. XXVIII l. 7 ab ultima l. nec potui p. et potui. p. XXIX l. 4 l. Gruteri. p. XXXI l. 1 l. quas p. quae. p. XXXIII l. 2 l. praecedente. p. XXXVI l. 23 l. Phoebea p. Phobea. p. XXXVII l. 13 l. describet p. describeret. p. XLIV l. 8 ab ultima l. εἰδῶς. p. XLVI l. 10 ab ultima l. Asinar. I, 2, 10. et dele I, 2, V sq. p. XLVII l. 19 l. Fallax.

In textu: I, 2, 13 l. *nativis — lapillis*. 8, 15: *patiaris*. 16, 43: *tuos* p. *tuas*. 20, 2: *defluat* p. *defleat*. — II, 6, 41: *diducet* p. *deducet*. 7, 11: p. *tibia* l. *Cynthia*. 11, 18: interpunge: *et, ulio*. 31, 13: *vertice* p. *vertici*. — III, 2, 32: *Gorgoneo* p. *Gorgonea*. 3, 4: *sua* p. *tua*. 8, 12: *parva* p. *parta*. v. 20: *sequitur* p. *sequimur* supervacanea Broukhusii conj. e Bahrdtii ed., me inscio, propagata. v. 56: *in* p. *tu*. 12, 6: *Erytina* p. *Erycina*. 16, 33: *tympana* p. *tymbana* et v. 36: *cymbala* p. *cympala*. — IV, 1, 67: *Hei* p. *heu*.

In annot. crit., p. 2 v. 22 l. 3 dele: *modo*, v. 30 l. 3 l. r l. p. 8 v. 36 post *Ask.* adde: *Pal.* v. 9 l. 8 adde: *Vulpii duo*. 9 v. 9 l. 14 *ausis* p. *tuis*. p. 9 v. 20 dele annot et lege: *excelsam* Bon. *exclusam* Ask. *domo* Lachm. e conj. p. 11 v. 24 l. penult. *pr.* p. *conj.* p. 11 a l. 14: *Fonteinio*. p. 13 a l. 13 e p. m. 14 v. 7 l. 14 ante *Borr.* adde: *Bon.* p. 14 l. ult. adde post *Colbb.* Guarn. p. 14 b l. 5 *patrui et Hemsterh.* p. 16 v. 19 l. 2 post *B. II* adde: *Bon.* l. 4 post *Colbb.* adde *Guarn.* p. 17 v. 9 adde: *dicere* pr. Santen. ad Ter. Maur. p. 226. p. 21 a l. 14 *Thesproto* p. *Thespoto*. p. 22 v. 21 l. 4 dele: *Lachm.* et adde: *Ah* p. Lachm. Signum interrogationis post *matris*, ut nos, Syncliticus

posuit. p. 25 b l. 3 et 4 commuta *Palatin.* et *Vatican.* p. 27 b dele ultimam annot. et lege: v. 19 et 20 in codd. et vulgg. v. 15. 16 transposuerunt Markl. et Schrader. Posuit post v. 22 ed. nostrae Lachm. p. 28 b l. 10 p. *in* l. *m'* et dele signum interrogationis l. sq. p. 31 b l. 2 lege *Fruterius* et adde: *Quae solet iratus dicere multa dolor* Waardenb. Obss. in Prop. Spec. IV p. 5. p. 32 b l. 2 p. 1487 l. 1491. Error ab Burm. commissus etiam in hanc irrepsit ed. Huschk. Catal. edd. Tib. p. LIX: *Sed quando Burm. laudat Venetam (Beroaldi) a.* 1487, *quae numquam exstitit, intellige Venet. a.* 1491. *Error ortus est ex subscriptione.* Idem annotavit Santen. in ineditis, se ipse corrigens. p. 34 a l. ult. adde: *nostris corticibus* Bon. ead. p. b l. 26 adde: cf. Huschk. ad Tib. IV, 14, 3. p. 38 l. 8 — 12 sic emenda: *Cui p. A. iterat responsa sed ille* Fontenius. *Cui p. A. ter Hyla! respondet: at illi* Huschk. ep. cr. p. 22. p. 43 b l. 5: *Volscus* p. *Beroaldus.* p. 49 b l. 2 sq. post *edd. pr.* adde: ed. Lachm. *aratro* cett. codd. vulg. *Unca velut* conj. Lachm. p. 63 b l. penult. *ed.* p. *et.* et *et* p. *se.* p. 53 b l. 4 *jussa* p. *jusse.* p. 61 v. 11 adde: *Surge, anima, ex h. j. carmine.* pr. Santen. ad Terent. M. p. 316. p. 62 b v. 31 l. 32. p. 63 l. penult. dele *codd.* p. 64 b l. ult. adde: *ponas* vulg. p. 71 a adde: v. 52: *cyathis* Perrej. Neap. Vat. II. p. 80 a l. 7 post *B. II* adde: *Bon. Guarn.* p. 82 b l. *ero* p. *ego.* p. 83 a l. 10 dele et l.: *ponere verba loco* Lachm. p. 84 b l. 1 post *B. II* adde: cod. *Lupacchini* et l. ult. adde: *sic Wassenb.* p. 85 b l. 1 v. 28 p. v. 29 l. 8 post *Heins.* adde: qui praeterea *subit* vult. p. 93 a l. 8 adde: *Boream* vulg. p. 94 a adde: v. 6. Santen. ad Balb. praefert: Et maris et terrae caeca pericla, *vias.* p. 95 b v. 26 l. 4 adde: *ipsa* Palat. Bon. v. 28 l. ult. l. *ipsa* p. *ipse.* p. 97 b l. 17 post *Passerat.* adde: *et Ferrarius.* p. 99 v. 30: sic Vat. II. p. 104 v. 14 adde: in eand. correctionem Jacobus incidit prolus. scholast. Gymnas. Posnan. a. 1826 eamque pulchre explicat. p. 105 v. 32 post *domum est* adde: *Bon.* p. 106 v. 45 post *Schrader.* adde: *et Lennep. ad Ov. Heroid. XV,* 41. p. 107 b l. 3 post *Schrader.* adde: et ut videtur, *Jacobus l. l. p.* 10. p. 111 a l. 1 dele *r.* p. 113 v. 79 Burm. in Addend.: *rectius distinguit Wassenb. T. f. e. docta testudine, quale.* p. 114 a l. 2 post 4 adde *Guarn.* p. 117 ante: *A.* v. 41 adde: v. 40 *insolito* codd. edd. vett. *in solito* em. Burm. et Wakef. ad Lucr. I v. 644. rec. Lachm. impr. Huschk. ad Tib. *et solito* Puccius. p. 116 v. 19 *vestro date* praef. Santen. ad Balbum. p. 119 b l. 4 *gyro* p. *roto* et l. 9 dele *B. II Ask.* p. 120 a l. 14 post *Palmerii* l. adde: *Guarn.* p. 125 b l. 2 adde: *Anne Alcm.* Puccius. *Anne — an* I. P. (Jov. Pontanus e Burm. opinione) in Ferrarii l. p. 128 b. l. ult. adde: *Lachm.* p. 131 b l. 2 dele *Paetus.* p. 133 v. 48 adde: *Euryme-*

denta p. *Oromedonta* et in hoc et in Theocr. VII, 46 legendum esse egregie docet Huschk. Anal. Litt. p. 320 sq. p. 141 b l. 5 dele *Leid.* p. 142 l. ult. adde: *ed. B.* 67. 68 *ed. nostrae cf. Lennep. Add. ad Terent. M. p.* 417. p. 143 v. 60 *tracta* p. *fracta* Fea ad Horr. epp. II, 1, 191 e mss. p. 144 b l. 71 *prius* p. *primum.* p. 145 b l. ult. adde: *et Ciconum mons, Ismara, Calpe* vulg. p. 147 v. 6: *Erycina* ed. Ven. 1475, Rheg. 1481. *Erythraea* membranae Ven. Lupacchini. p. 151 b 11: impr. Lennep. ad Ov. Heroid. p. 186. p. 157 v. 7 pr. Santen. ad Balb. p. 163 a l. 5 post *quarto* adde: ed. vulg. p. 175 v. 59 *Et tamen* praef. Sant. ad Balb. et mox *amicit* cum Balbo et Lupacchini cod. p. 177 a l. 11 adde: p. 25. p. 195 v. 45 post *Markl.* adde: *et Santen. ad Ter. M.* p. 315. p. 197 b l. penult. *mos* l. *mox.* p. 208 b l. 11 p. 1487 l. 1781 et post *Vat. II* adde: *Puccius* ad Rheg. L. p. 204 a l. 6 *codd. et* l. *et codd.* p. 213 b l. 7 p. *et* l. *el.* p. 218 a l. 1 l. 5 p. 6, *furvae* p. *turvae.* dele *vett.* et adde: *pr. Santen.* p. 219 b l. 11 dele *Ask.* ipso Santenio ad Balb. jubente. p. 220 v. 82 adde: Heyn. ad Virg. Aen. VI, 840: *Qui* Persen, — *Et tumidas* proavo (hoc nunc emendatius legitur meliore Santenii V. Cl. judicio) fregit Achille domos sic conj. h. e Paullum testor, qui etc.) p. 220 v. 41 42 post v. 150 adde: impr. Huschk. Anal. ad Tib. p. 700. p. 223 v. 82 l. 3 adde: *credita* vulg. Lachm. p. 227 l. 3 *versandum* p. *versandam.* p. 229 de *vel — aut* cf. Meinerum *Uebers. d. Partikeln* p. 325. p. 233 l. penult. *ne* p. *ut.* p. 236 l. 4 ab ult. *assectas* p. *asseltas.* De *mihi, tibi, μοι* adde Nonnum VIII, 15 ubi frustra haesit Moserus. ead p.: *Lucreti* praepostere Wakefieldus laudavit praef. ad Lucret. p. CIX ed. Eichst. p. 214 l. 11 *haccce* p. *haecce.* p. 242 l. 10 *ab* p. *ut.* p. 244 l. 4 ab ult. l. collegit p. colligit. l. 18 *se* p. *de.* p. 245 l. 9 *collatam* p. *dollatam.* p. 247 l. 12 *Et* p. *est.* l. 19 l. et lapideum. p. 249 Ad disputata de enallages usu adde Jacobum ad Lucil. Aetn. p. 227. p. 253 l. 3 ab. ult. l. confundantur. l. 6 l. hac p. hoc. p. 254 ad *tempora* adde Quinctil. Decl. XVIII p. 297 ed. Obr. *Filius possidet cuncta tempora, universas occupavit affectus, filius matris tota jactatio est.* l. 24 l. ne p. ut. p. 255 l. 14 ab ult. l. vulgivagum. l. 16 *portum* p. *partum* l. 4 ab ult. *nullam* p. *nullum.* p. 256 l. 16 Q. p. G. quod saepius erratum. p. 259 l. 9 *tristis* p. *tristes.* p. 261 l. 11 *observavit* l. 23 *quamvis.* l. 29 l. *ne* p. *ut.* p. 264 l. 5 l. facessierunt. l. 13 l. hoc p. hac. l. 34 c. I p. CI. p. 267 l. 18 l. plana p. plane. p. 268 l. 17 *expliconda* p. *explanda.* p. 269 l. 23 Valckenarii. Ad ea quae de Callim. H. in Apoll. v. 106 monui, adde: *οὐχ'* jam legit Scalig. ad Catull. CXVI. p. 272 l. 3 *Cydonia* p. *Cydoniam.* l. 28 l. *ὕπνον* p. *ὕπνου* et mox scripturam p. scriptura. l. 12 *magis.* p. 274 l. 8 l. eaedem p. eidem. p. 278 l. ante ult. *gyros.* l. 6 l. I p. II. p. 279

l. 24 in v. post *es* adde: *assiduas.* p. 280 l. 5 ab ult. l. Ariadneum. l. 9 ante ult. *erecta.* p. 284 l. 9 ab ult. *ut* p. *aut.* p. 285 in Macedonii ep. l. *Λιμένων* p. *Λιμένοιν.* p. 288 l. 8 *quod.* p. 289 l. 1 adde l. IV. p. 290 l. 25 l. Charitum p. Musarum. p. 291 l. 12 nisi p. quam. l. 16 *prodita.* l. 17 l. *tua* p. *sua.* et paullo ante prodita. l. 23 *incolumitate.* p. 292 l. 4 *pellice cum* p. *pelliceum.* l. 11 *γυνή.* l. 22 l. Parenthesis haec ponenda l. 20 post v. 14. p. 293 l. 3 *sortis* p. *fortis.* p. 295 l. 2 ab ult. post Theb. adde: I. p. 296 l. ab 25 l. quae p. qui. p. 297 l. 25 adde ante sic: ratus. p. 298 l. 12 *φρύαγμα.* p. 301 l. ult. l. curandum. p. 302 l. 1 l. angat p. augeat. p. 303 l. 3 dele punctum post *Δαρδανίη.* p. 306 l. 3 l. edito. l. 11 dele: vates. l. 26 l. videntur. — Alia benevolus lector ipse corriget.

Millia mendorum lector stomachabitur. Esto:
Cynthia placarit cui iecur intumuit.

SEXTI AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER I.

CYNTHIA.

MONOBIBLOS.

ELEGIA I.

AD TULLUM.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante Cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
  Et caput impositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
  Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno:
  Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
  Saevitiam durae contudit Iasidos.
Iam módo Partheniis amens errabat in antris,
  Ibat et hirsutas ille videre feras;
Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
  Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

ELEG. I.

v. 1. *fecit* Voss. II.
v. 2. *libidinibus* nonnulli Mss. *pidinibus* ed. Lachm.
v. 5. *castas docuit* Voss. I, l. Heins.
v. 11. *Jam modo* B. I.
v. 12. *ferire* em. Heins. vulg.
v. 13. *perculsus pondere* Dresd. et Cod. Passer.

Ergo velocem potuit domuisse puellam?
Tantum in amore preces, et benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia Lunae,
Et labor in magicis sacra piare focis;
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
Posse Cytaeaeis ducere carminibus.
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignis:
Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctis exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit Amor.

---

v. 17. *falsus* O. Exc.

v. 18. *memini* Voss. II. Vat.

v. 19. *subductae* M. Reg. Colb.

v. 20. *parare* O. a m. pr.

v. 22. *modo palleat* Regg. Leid. II. edd. Reg. Lep. Ven. pr. *modo* Brix.

v. 23. *vobis vos sidera* Gryph. *crediderim vos coelo et* conj. Burm. *ignes* p. *amnes* Exc.

v. 25. *At vos* Gr. Exc. nonnullae edd. *Et* cett. codd. vulg. *aut* em. Hemsterh. pr. Burm. rec. Lachm.

v. 28. *volet* Palat. vulg. *velit* cett. codd. Lachm.

v. 30. *novit* M. Voss. IV. O. et in marg. Ask. Guarn. Dresd. spscr. I.

v. 31. *aure* Bahrdtii libri Leidd. Voss. 3. O. I. et Ask. in marg. edd. Reg. Lep. Ven. 1. etc. *ore* O. II. et Comelin. rec. Broukh. vulg. pr. Santen. ad Balbum n. 188. *aure* Hemsterh. et Lachm.

v. 34. *Ut* M. B. I. *desit* Leidd. Voss. 4. margo Ask. ed. Reg. Lep. Venet. aliae.

Hoc, moneo, vitate malum, sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quodsi quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

ELEGIA II.

AD CYNTHIAM.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi: non ulla tuae est medicina figurae.
Nudus Amor formae non amat artificem.
Adspice, quos submittit humus formosa colores,
Ut veniant hederae sponte sua melius:
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora nativos collucent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

---

v. 35. *vitare* M. Burm. I.
v. 36. *nec* Voss. IV. et Ask. *assuetum* Vatic. V. *asueto* M.

ELEG. II.

v. 9. *quod* Reg. Leid. II. edd. ℞eg. Lep. Ven. 75. et Vincent. *uos* Leid, Voss. 4, O. 2. Vulpii ;odd. Dresd. Ald. Junt, *quot* Reg. lter. vulg. *Submittat* Borrich. ex Borr. Broukh. sumittat anno-ıt.) Ask. duo libri Gebh. Broukh. , vulg. *Summittat* Broukh. II. Ald. Junt. *Submittit* seu *summittit* cett.
v. 10. *ut* in l. Achill. Statii et Ven. 1500. *veniunt* unus Voss. et Heins. *Et* codd. edd. pr. vulg.
v. 11. *ut* id. Statii l. *formosior* ed. Colin. *formosius* cett.
v. 13. *persuadent* Voss. 3.

Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
  Pollucem cultu non Hilaira soror.
Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo,
  Eveni patriis filia litoribus;
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
  Avecta externis Hippodamia rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
  Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantis:
  Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis;
  Uni si qua placet, culta puella sat est.
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
  Aoniamque libens Calliopea lyram,
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
  Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
  Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

Leid. I, O. I, Neap. Exc. Heins. Colb. 1. Gebh. 1. Livin. Bon. Dresd. *collucent* Gr. Regg. Colb. Leid. II, ed. Reg. Lep. Ven. Vicent. Beroald. *pellucent* Aldd. Juntt. etc. *perfundent* V. L. in Exc. *persudent* Voss. IV, O. II. *nativis lapillis* Gr. Leidd. Voss. 4. Palatt. aliique Codd. et edd. Reg. Lep. Venetae Ald. aliae. *nativos per se dent picta lapillos* em. Scal. vulg. *nativis collucent p. lapillis* Lachm. *canunt* Voss. 4. Leidd. Borr. Gr. Regg. Colbb. O. I, B. II, Ven. 1500 Ald. Gryph. etc. *canant* Heins. (?) O. II, Dresd. vulg.

v. 19. *Non* Voss. III. Colbb. Gr. O. I, B. II.

v. 25. *Non ego non* Neap. *sis mihi* Vatic. Memmian. Scalig. e conj. vulg. *sim tibi* cett. codd. edd. vett. Muretus et Lachm.

v. 29. *dictis* Guarn. Voss. I, III, Gr. B. II.

ELEGIA III.

AD CYNTHIAM.

Qualis Thesea jacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis et accubuit primo Cepheia somno
  Libera jam duris cautibus Andromede,
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
  Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem,
  Cynthia non certis nixa caput manibus.
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
  Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnis
  Molliter impresso conor adire toro:
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
  Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
  Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
  Expertae metuens verbera saevitiae:
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

ELEG. III.

v. 4. *cotibus* Voss. 4. Leidd. k. O. 2, B. 2, edd. primae.

v. 12. *cogor* Voss. III, IV, O. et B. II. in marg.

v. 14. *Hac Venus* Voss. IV. k.

v. 15. *Supposito* Voss. IV, *pposito leniter* Ask. *positam iter* Colbb. *breviter* Voss. III.

v. 16. *amota* Ask. *et arma* omnes codd. et edd. vett. praeter Gr. qui *et* omittit. *Sumine* M. *ad ora* emend. Gronov. receperuntque seqq. edd. praet. Lachm. *tarda* vel *certa oscula* conj. Scalig. *carpta* vel *rapta* Heins.

v. 18. *verbera* Scalig. et Passerat. lib. *jurgia* cett. codd. rec. Lachm. v. Hufsk. ad Tib. III, 6. 13.

Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
  Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos;
  Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
  Munera de prono saepe voluta sinu,
Et quoties raro duxti suspiria motu,
  Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
  Neve quis invitam cogeret esse suam:
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
  Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
  Sic ait in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto,
  Alterius clausis expulit e foribus.
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis
  Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctis,
  Me miseram quales semper habere jubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
  Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae,
Interdum mecum graviter deserta querebar
  Externo longas saepe in amore moras;

---

v. 23. *laxos* Voss. IV, Vatic. V.
v. 24. *Tunc* B. 1.
v. 27. *duxit* M, O. 2, B. 2, Regg. Colbb. Borr. Neap. Ask. Guarn. Dresd. *duxti* Gr. Leid. II, edd. pr.
v. 34. *Tunc ait* Vatic. et Memmian. *Hic* Muret. l.
v. 36. *reppulit* Scalig. *a foribus* Voss. IV, Ask. pr. Heins. *aspulit a foribus* ed. Lachm. v. Hufsk. ad Tib. II, 1, 24 et 54.
v. 39. *perducas* Voss. 4, Leidd. B. 2, Borr. Gr. Ask. edd. pr. praet. Gryph. et Plantin. *perduras* Exc. Heins. Exc. Vatic.
v. 41. *Jam* M.
v. 43. *Interea* Francii II. *leviter* Borr. Neap. Ask. Perrej. Regg. Colbb. Gr. Dresd. Francii II, Bon. edd. Brix. Ven. pr. Reg. Lep. *loquebar* Guarn. O. II, B. II, Voss. I.
v. 44. *vias* Gr. *esse in amore* Voss. IV, Ask.

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis,
  Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

ELEGIA IV.

AD BASSUM.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
  Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitae quodcunque sequetur,
  Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopes formam Nycteidos, et tu
  Spartanae referas laudibus Hermiones,
Et quascunque tulit formosi temporis aetas,
  Cynthia non illas nomen habere sinet;
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
  Inferior duro judice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris;
  Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color, et multis decus artibus, et quae
  Gaudia sub tacita ducere veste libet.

---

v. 45. *Tum* M. *jocundis* idem. et Gr. *lassam* Vatic. Comel. Dresd. Bon. *intulit* M, Voss. I.

v. 46. *meta* Voss. IV. sic conj. Heins. pr. D'Orvillius rec. Broukh. *nota* Colb. II. *orura* Leidd.

ELEG. IV.

v. 4. *vivere* Gr. Colb. Regg. Pal. pr. Dousa, rec. Broukh. et Lachm. *ducere* cett. codd. et edd.

v. 5. *Antiope* B. II. *Antiopes* O. II. *Hermionaes* Heins. et Lam. Latini. *Hermiones* Dresd. *Antiope* et *Hermione* Neap. *Antiopae Spartanae Hermionae* codd. et edd. vett. *Antiopae, Spartanam Hermionen* vulg.

v. 8. *sinat* Cod. Dresd. Voss. 4, Leid. O. 2, B. II, et multae edd. vett. *sinit* Regg. Leid. (?) ed. Reg. Lep. et Ven. I. *Sinet* Heins. Gr.

v. 13. *mollis* Vatic. II. *decor* O. II.

v. 14. *ducere* Vatic. 2, Colot. O. II, Comel. *dicere* cett. codd. edd. vett. et ed. princ.

Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres. sciet haec insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
Quaeret: erit tanti criminis illa memor,
Et te circum omnis alias irata puellas
Differet; heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicunque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue nostro. maneat sic semper, adoro;
Nec quidquam ex illa, quod querar, inveniam.

ELEGIA V.

AD AEMULUM SUUM GALLUM.

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignis,
Et bibere e tota toxica Thessalia.

---

v. 17. *Hoc* Voss. III, IV, O. II, Ask. *haec* cett. quod praeter Burm. omnes editt. habent. *sciet haec, insane, puella* Gryph. *sciat* Gr. Voss. I.

v. 22. *deferet* Pal. I, Guarn. Voss. I, III, IV, B. 2, Leidd. edd. primae aliaeque.

v. 27. *nostri* omnes libri vulg. *nostro* Comel. et sic Heins. pr. Burm. rec. Lachm. *id oro* Perrej. Colot. Vatic. 2.

v. 28. *Ne quidquam* Borrich. edd. Ald. I. Colin. Scalig. Grasser. etc. voluit etiam Dousa.

ELEG. V.

v. 3. *meae* conj. Hemsterh. pr. Burm. rec. Lachm.

Non est illa vagis similis collata puellis:
  Molliter irasci non solet illa tibi.
Quodsi forte tuis non est contraria votis,
  At tibi curarum milia quanta dabit!
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos,
  Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemptus quoties ad limina curres,
  Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus moestis orietur fletibus horror;
  Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecunque voles fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris, qui sis, aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
  Discere; et exclusum quid sit abire domum.
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
  Aut cur sim toto corpore nullus ego;
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
  Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quodsi parva tuae dederis vestigia culpae,
  Quam cito de tanto nomine rumor eris!

---

v. 8. *sciet* Scalig. vulg. *sinet* O. II. in marg. *solet* codd. et edd. *Molliter irasci non solet illa: time* ed. Lachm.

v. 9. *tuis — votis* Regg. Gr. Leid. I, II, IV, O. I. a sec. edd. vett. vulg. *animis — nostris* Perrej. Vatic. I, II, Neap. *ausis — nostris* Scalig. Francian. I, Voss. II. rec. Broukh. *ruis votis* pr. *tuis* vel *ruis nostris* Guarn. Borr. Ask. Voss. I, II, IV, B. II. in marg. *tuis votis*. *tuis — nostris* cett. codd. Broukh. et Gebh. Bonon.

v. 10. *Ah tibi* Voss. IV, Vatic. I, II, Colot. *milia* Gr. et ed. Ven. 1475. pr. Broukh. sequitur Lachm.

v. 15. *Et tremulis* O. I. *tremulis moestus* Gr. Regg. Colb. edd. vett. *moestus tremulis* Colb. II. *mixtis* p. *moestis* conj. Burm. pr. Wyttenb. Bibl. Cr.

v. 16. *tremor — ora* Gr.

v. 17. *loquenti* Voss. IV, Ask. in marg. *querenti*. *volet* conj. Santen. pr. Wyttenb.

v. 20. *domo* Bonon. et sic Lachm.

v. 21. *miserabere* Heins. Voss. I.

v. 24. *credere* M. Exc. B. I.

v. 25. *Quidsi* Voss. I, III, B. II.

Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore,
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere: non impune illa rogata venit.

ELEGIA VI.

AD TULLUM.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum
Tulle, neque Aegaeo ducère vela salo;
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montis,
Ulteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignis,
Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi se jam denegat; illa minatur,
Quae solet ingrato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis:
Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiae veteres cernere divitias,

ELEG. VI.

v. 1. *Adriae* Ask. M. Borr. B. I. *cernere* Ask. in marg.

v. 3. *Tecum* O. II. *Rhipaeos* scr. Santenio auctore ad Hier. Balbum et sic Lachm.

v. 6. *dolore* Voss. 3, B. II.

v. 7. *acuit sub noctibus* Per-rej. Vatic. II.

v. 9. *mihi jam se* Codd. et edd. vett. *mihi se|jam* Heins. et Broukh. vulg.

v. 10. *ingrato* Vatic. Colot. sic conj. Heins. et Broukh. vulg. *irato* Codd. et vett. edd.

Ut mihi deducta faciat convicia puppi
  Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
  Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire securis,
  Et vetera oblitis jura refer sociis.
Nam tua non aetas unquam cessavit Amori;
  Semper at armatae cura fuit patriae:
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
  Adferat, et lacrimis ultima vota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna jacere,
  Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
  In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
  Hanc me militiam fata subire volunt.

---

v. 15. *deductae* Voss. III.

v. 17. *opposito dicat contraria vento* Voss. III. et in marg. *sibi dedita* et sic Ask. O. II. *Oscula quae oppositio dicit sibi debita vento* B. I. et in marg. *dicat contrario vento. dedita* Neap. I, Leid. II, Voss. I, B. II, edd. primae Ven. Reg. Lep. etc. *apposito* Gr.: *Osculaque ut posito dicat sibi debita vento* ed. Lachm. *mihi* p. *sibi* conj. Burm. cf. Hufsk. ep. cr. ad Santen. p. 27 sqq. qui cum Fonteinis conj.: *sibi debita ponto.*

v. 19. *patri emeritas* Perrej. Vatic. II. *patriae* O. II.

v. 20. Heinsianam conjecturam: *jura referre foris*, probatam Broukhusio, Burm. confirmant Perrej. Vatic. II, B. 2. Vulgatam tuentur Hemsterh. et Lachm. *sonis* p. *sociis* nonnull. Mss.

v. 21. *Jam tua* Heins. *numquam* Leidd. Voss. I, IV, O. II, Dresd. primae edd. *Servivit* in marg. Voss. I. et B. II, ed. Vicent. Aldd. Junt. Colin. etc. *Cessavit* Codd. ed. Volsc. et Ven. 1475.

v. 22. *et* Livin. Vatic. Borrich. Colb. Dresd. Voss. III, IV, Neap. V, Gr. pleraeque edd. vett. Lachm. *at* cett. codd. et vulg. *at armato* conj. Hemsterh.

v. 24. *adferet* Voss. IV. *ultima vota* Franc. II, rec. Broukh. vulg. *omnia n̄* Voss. 4 et O. 2. *omnia nota* cett. codd. et edd. vett. *vota* in marg. B. II. *ultima nota* Lachm. cf. Hufsk. ad Tib. p. 225, qui *omnia nota* conj.

v. 25. *latere* Comel. *voluit*

At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii:
Tum tibi, si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

ELEGIA VII.

AD PONTICUM POETAM.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus;
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam,
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est;
Hinc cupio nomen carminis ire mei.

---

semper Voss. I, III, Heins. B. II, Lachm.

v. 32. *tingit* Heins. M. O. ed. Volsc. *tangit* O. II. *tignit* Ask. *cingit* Perrej. Leid. II, Voss. I, III, Vatic. II, B. II. (in marg. *tingit*,) Regg. Muret. l. ed. Reg. Lep. Ven. pr. Brix. *tinguit* Borr. Voss. II, ed. Vicent. Grass. *aratra* Gr. Borr. Leidd. O. 2, Beroald. Ask. B. I. pr. edd. *arata* Ven. ed. Memmian. cod. et vet. l. ap. Turneb. Adv. XXI, c. 16.

v. 34. *acceptis par eris imperiis* conj. Passerat. *asserti pars eris imperii* conj. Heins.

ELEG. VII.

v. 1. *dicuntur* codd. praeter Scalig. libros qui *ducuntur* habent, quod rec. Broukh.

v. 3. *prisco* Franc. unus.

v. 7. *Nec tamen* Leid. I. Voss. II, III. B. I.

v. 8. *dira* Leid. I, Voss. II.

v. 9. *Sic mihi* Heins. *est* omittunt Gr., O. II.

Me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice, et injustas saepe tulisse minas;
Me legat assidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evoluisse deos;
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda jacere situ,
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere saepe poetam;
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis:
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro:
ARDORIS NOSTRI MAGNE POETA JACES.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Saepe venit magno fenore tardus Amor.

---

v. 11. *docuisse* Neap.

v. 12. *injustae* Borr.

v. 13. *posthac* Voss. IV, Neap. Colot.

v. 14. *Ut* Heins.

v. 15. *percusserit* Lipsius, Guyet. Valcken. ad Hippol. v. 1308.

v. 16. *eviolasse* Voss. 4, Leidd. O. II, B. 2, Ask. Vulpii duo edd. Ven. 75. Reg. Lep. Aldd. Juntina Brix. *evilasse* O. I. *te violasse* Vatic. Liveneji' ed. Colin. Lugd. etc. et Beroaldus in libris. *evoluisse* Vatic. I, II, V, Colot. Perrej. Beroaldi cod. Canteri libri. ed. Vicent. 1481 et 1487. pr. Scalig. Muret. rec. Broukh. vulg. *Quod nolis nostros evoluisse deos* ed. Lachm.

v. 20. *verus* Voss. II, III. in marg. *servus* vel *serus*. *verus* Comel. et B. II. in cujus marg. *servus* et a m. sec. *saevus*. *Sevus* Leid. Voss. IV, Ask. in marg. *serus*. *Servus* Gr. (ap. Burm. *serus*) et Vatic. *Saevus* pr. edd. Ald. Junt. Colin. Gryph. Rollin. etc. *Serus* Francii duo, Vatic. II, V, Neap. Borrich. O. 2, Aldus ed. II. *Tum* Lachm. semper e Vossii regula ad Tib. I, 1, 21.

v. 23. *nostro juvenes* Ask. *nostro hoc retinere* Gryph. 1551.

v. 24. *taces* Gr.

v. 26. *lentus* Dresd.

ELEGIA VIII.

AD CYNTHIAM.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti, quicunque est, iste videtur,
  Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti?
  Fortis et in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis;
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
  Neve inimica meas elevet aura preces:

ELEG. VIII.

v. 1. *Tene igitur, demens, te nil mea cura moratur* conj. N. Heins. pr. Burm. seq. v. *jam* p. *an* legens.

v. 2. *sim* Comel. *At tibi sum* O. II. a m. sec.

v. 5. *insani* Voss. IV, Ask.

v. 7. *Sulcare pruinas* ed. Vic. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliaeque. *Sulcare* Beroald. Ven. 1500. *Fulcire ruinas* vetus Passer. cod. (Memmianus) Scaligeri libri Neap. Leidd. Voss. II, O. II, Ask. B. I, Gr. Regg. Francii 2, Borr. Colb. Palatini Gebh. ed. Ven. 1475 et Reg. Lep. Totum distichon om. Voss. IV. et Colb. II. *Fulcire pruinas* Harlejan.

v. 11. *puppis* p. *funis* Perrej. Colot. Vatic. II. *Nec* Regii Colbb. Leid. Gr. *Neu* vulg. *Ne* Scalig. Paris. Morelli et Passer. Londin. quod in annott. praef. Burm. *in ora* Burm. p. *arena* e conj. patrui Hemsterhusii qui *arena* et in *ora* inter se commutarunt. *ab ora* praetulit Hemsterh. cf. Hufsk. ad Tib. I, 9, 23. Scalig. v. 15 et 16 ante v. 13 et 14 posuit, quem ordinem servarunt Broukh. Bahrdt. aliique. Veterem ordinem reduxerunt Hemsterhus. et Burmann. *hora* Leid. Voss. II, IV, aliique. *vacua patiaris arena* ed. Vicent. Aldd. Junt. Colin. Gryphh. Rovill. Muret. *arena* Borr. Colb. *Patiatur* Gr. Neap. Guarn. Scalig. Vallier. ed. Volsc. praeterea *et* mutato in *nec*. Hufskius: *pa-*

Atque ego non videam talis subsidere ventos
Cum tibi provectas auferet unda rates;
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta saepe vocare manu.
Sed quocunque modo de me perjura mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae:
Ut te felici praevecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, vita, tuo limine vera querar.

---

tiatur arena — *infesto mari* — *aut* ego non etc.

Lachm.:

Atque ego non videam talis subsidere ventos
Cum tibi provectas auferet unda rates
Et me defixum vacua *patienter* in ora
Crudelem infesta saepe vocare manu!

Heinsius:

Atque ego tunc (vel tum) videam velis subsidere ventos.

Tum praef. Burm. qui ipse tentat:

Aut ego tum videam tacitos subsidere ventos.

v. 14. *auferat* Voss. IV.

v. 16. *infecta* activ. p. *irrita* ult. Wyttenb. Bibl. Cr. II, 2, 8. uod jam Livin. cf. Hufsk. ad ib. I, 10, 64. *saeva* p. *saepe* onj. Burm.

v. 17. *quodcumque* Regg. olbb. Dresd. Voss. II, O. I.

v. 19. *At te* B. I. *Utere* Voss. III. B. II. *Et te* Posth. op. Lin. *provecta* Voss. I, III, IV. M. ein. Gr. Ask. Harlej. Colbb. Exc. Dresd. Vatic. Livineji *praevecta* Franc. 2, Borr. Neap. Turnebi cod. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. ed. Broukh. et Lachm. *Projecta Ceraunia*, *pervecta*, *per saeva*, *provectam felice Ceraunia remo* Vaticani. *vectam per caerula* ed. Vicent. Beroald. Aldd. Junt. Gryph. Colin. Muret. cet. *projecta* ed. Volsci. *provecta* ed. Burm.

Heins.:

Ut te, felici post victa Ceraunia remo;

Lachm.:

Vites felici praevecta Ceraunia remo.

v. 20. *excipiat* Palat.

v. 21. *Jam me* B. I. *corrumpere dirae* B. I. *thede* Gr. *thedae* Junt. Ven. 1500, Ald. I. *taedae* ed. Vicent. Volsc. Ald. II. *de te* Leidd. Voss. 4, Borrich. Neap. Vatic. V, Ask. O. 2, B. II, Dresd. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. ed. princeps, Brix.

v. 22. *meo* Voss. IV, Ask. *lumine* Leidd. Voss. 4, O. I, B. II,

Nec me deficiet, nautas rogitare citatos:
  Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
  Et licet Eleis: illa futura mea est.

Hic erit: hic jurata manet. rumpantur iniqui.
  Vicimus! assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
  Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
  Dicitur et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
  Et quocunque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
  Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
  Non tamen illa meos fugit avara sinus.

Comel. Dresd. ed. princ. *verba* codd. edd. vett. et princ. ed. Lachm. *vera* ex emend. Schotti et Livineji vulg. *loquar* et *victa* nonnulli libri.

v. 23. *deficiat* Voss. II, III.

v. 25. *Et dicam Atraciis licet haec considat* Regg. Voss. I, II, Leid. II, B. 2, primae et pleraeque antiquiores edd. *Et dicam licet Atraciis* relicui codd. *a thritiis* M. B. I. *Athritiis* Borr. *Autraciis* Voss. et Vatic. II. *Autaricis* Gr. ed. Muret. *a tratiis* Ven. pr. Reg. Lep. *Autracis* ed. Volsci. *Atraciis* Ven. sec. Ald. *Antariis* Vatic. I. Colot. Perrej. qui legendum adscr. *Autariis*. *Atratiis* Brix. Burm. cui Lachm. in annot. assentitur, legit: *Et dicam licet Autariis (Autaricis) considat in oris*. Sic ed. Beroald. et voluit Volscus.

v. 26. *Helleis* Dresd. *ellaeis* B. II. *heleis* Ald. *Heleis* Colin. *Hyleis* Muret. ed. *Hylaeis* vel *Ilaeis* Exc. B. I, M, Borr. Neap. aliique. *Isseis* ed. Beroald. *Issaeis* pr. B. cum Lachm.

v. 27. Ab hoc v. Lachm. e Lipsii sententia novam elegiam incipit. *Haec erit: hic jurata manet.* Handius ad Stat. Silv. T. I. p. 267. *rumpentur* Regg. Colbb.

v. 28. *Vincimus* Leidens. Regg. edd. primae Brix. *dicimus* Borr.

v. 29. *componat* conj. Burm. *deponas* conj. Heins.

v. 31. *et* omitt. ed. Broukh. Scaligerum seq.

v. 38. *amara* Leid. Voss. II, Borr. B. I. *amata* Palat.

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo:
  Quis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
  Sive dies seu nox venerit, illa mea est,
Nec mihi rivalis certos subducit amores.
  Ista meam norit gloria canitiem.

ELEGIA IX.

AD PONTICUM SUUM.

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
  Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellae,
  Et tibi nunc quovis imperat empta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
  Dicere, quos juvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum;
  Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
  Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
  Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.

---

v. 42. *cara* B. I.

v. 45. *subducit* M. Borr. Neap. Voss. 4, O. 2, B. 2, Dresd. *subducet* Burm. cum Scalig. aliisque edd. Pro *certos* Voss. II. *summi*; *somnus* Voss. III, B. II.

ELEG. IX.

v. 4. *quovis* Scalig. Perrej. liique. ed. Vicent. 1481. *quaeis* Dresd. Bonon. Leidd. Voss. Regg. Vatic. V. Borr. Gr. B. II. dd. vett. *quivis* ed. Volsc. 482.

v. 7. Burm. conj. *veri fecere* ropert. *Eleg.* *peritum*: „acutum magis quam necessarium hoc esse" monet Wyttenb. Bibl. crit. II, 2, 8.

v. 9. *ducere* Heins. conj. rec. Broukh. Burm. et jam sic ed. Volsc. 1482.

I, quaeso, et tristis istos compone libellos
Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam,
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni;
Haec est venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigris,
Et magis infernae vincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis,
Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu;
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est:
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas o fuge blanditias.
Illis et silices et possunt cedere quercus,
Nedum tu possis, spiritus iste levis.

---

v. 13. *tristis* omnes fere Burm. codd. et edd. vett. *tristes* Burm. *repone* Vatic. I, Colot. *istos depone libellos* Aldd. Junt. Gryph. Colin. Rovill. etc.

v. 19. *Tum* codd. plerique et edd. vett. *Tunc* Muret. Scal. Burm.

v. 21. *Toties* vel *totiens* codd. et edd. vett.; etiam Lupacchini cod. et ed. princ. pr. Santen. ad Balbum p. 1823. *totis* em. Dousa e rec. Broukh. vulg.

v. 22. *ingratae* Lachm. e conj.

v. 27. *deducere* Gr. *subducere* Leid. Voss. 3, O. 2, B. 2. Exc. Borr. Colb. Palat. I, Gebh. Guarn. quattuor libri ap. Broukh.

v. 29. *cutis attigit* Gr. alii *catus*. *vanus* Guarn. Ceteri omnes et edd. *manus*.

v. 30. *effuge* Comel. Broukh. vulg. *aufuge* omnes codd. et edd. vett. *o fuge* Passerat. Vulp. Hufsk. Anal. ad Tib. p. 706. *heu fuge* Markl. *ah fuge* Lachm.

v. 31. *possunt et* Gr. Lachm. *et possunt* cett. edd. et codd. *possint* Neap.

Quare, ni pudor est, quam primum errata fatere.
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

ELEGIA X.

AD GALLUM.

O jucunda quies, primo cum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas!
O quoties votis illa vocanda meis!
Cum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, et longa ducere verba mora.
Quamvis labentis premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis coelo Luna ruberet equis:
Non tamen a vestro potui secedere lusu;
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissae munera laetitiae.
Non solum vestros didici reticere calores;
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.

---

v. 33. *si pudor est* Leidd. oss. 3, O. 2, B. I. *ni pudor est* olot, rec. Broukh. vulg. *fateri* on. edd. Vicent. 81, Volsci Ven. 1500. Brix. *et si pudor est* Lachm. e conj.

v. 34. *juvat* Scalig. Dresd. edd. Vicent. 81, Volsci Ven. sec. Aldd. Junt. Muret.

ELEG. X.

v. 6. *in longa mora* Vatic. V. urej. Lipsii nonnulli libri. *et ngam moram* Gr. *in longam oram* Leidd. II. edd. primae d. 1502. Colin. 1529. Rovill. t.

v. 11. *concedere* Leid. II, Voss. O. 2, Regg. Colbb. Gr. Neap. Borr. B. II. Bon. Guarn. Dresd. edd. primae. *te credere* alii codd. *cedere* Heins. *condere* M. *concredere* Beroaldus.

v. 13. *furores* ed. Volsci. *calores* Lachm. e conj. praeeuntibus Guyeto et Heinsio. *dolores* codd. et edd.

Possum ego diversos iterum conjungere amantis,
  Et dominae tardas possum aperire fores
Et possum alterius curas sanere recentis,
  Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecunque petenda,
  Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae,
  Neve superba loqui, neve tacere diu;
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris,
  Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
  Nec meminit justas ponere laesa minas.
At quo sis humilis magis et subjectus Amori,
  Hoc magis effecto saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
  Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

ELEGIA XI.

AD CYNTHIAM.

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bajis,
  Qua jacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno,
  Proxima Misenis aequora nobilibus,

---

v. 15. *divisos* Borr. Vatic. V, aliique. edd. Aldd. Gryph. Mur. Basil. *et adversos* O. II. *diversos* codd. et edd. cett.

v. 17. *poenas* Scalig. *dolentis* in nonnullis ll. esse scr. Latinus Latinius. Var. Lect. ad Prop. p. 58. *vegentes* em. Jacobsius.

v. 27. *Et quo* B. I.

v. 28. *effecto* codd. Aldd. Colin. cet. *affecto* Vat. V. ed. princeps. *effectu* edd. recent. vulg.

v. 29. *poterat* Leid. II, Reg. Gr. Ven. I, Reg. Lep. Colin. Aldd. Grass.

ELEG. XI.

v. 1. *Et quid* Voss. 4. Neap. O. I, ut v. 7.

v 2. *Quae* Heins. *tacet* M.

v. 3. *tespronti* B. II. *Tesponti* Voss. *Threspoti* Ask. *Tesproti* Vatic. *tesporti* Dresd. *te sproti*

Nostri cura subit memores, ah, ducere noctis?
  Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
  Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvula Lucrina cymba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
  Molliter in tacito litore compositam,
Ut solet amoto labi custode puella
  Perfida, communis nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
  Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
  Attulerint nostri; culpa timoris erit.

Mss. edd. primae: *tespreti* ed. Brix. *Et modo te sproti mirantem subita regna* ed. Ven. 1475. *Et modo te spreti mirantem subita* ed. Reg. Lep. 1481. *Et modo te Protei mirantem subdita regno* Jan. Parrhasius et Lachm. *Teleboo vel Et te Prothoi regno* vel *Thesproto subdita stagno* conj. Heins. Sannazarius: *Et modo te Prochytae mirantem subdita regno*, quod in annot. Burm. pr. *Et modo Thesproto mirantem subdita regno* Camillus Peregrinus.

v. 4. *Et modo — litoribus* Scalig. *Proxima Misenis aequora litoribus* em. Parrhasius, et. Lachm. in annot.

v. 5. *adducere* Codd. *traducere* Memmian. *aducere* Gr emend. Scalig. et Heins.

v. 7. *qui* Lachm. e conj.

v. 8. *luminibus* Markland.

v. 12. *Alterna facilis* M. Gr. *alterna* unus l. Livineji (*P*) *Vat. V.* et sic Heins. *facili* Exc. Modii, Voss. II.

v. 13. *tenues* Voss. IV, O. II, B. I. *haurire* Borr. unus Gebh.

v. 15. *amota* Regg. Colbb. Dresd. Palatini Gebh. Leidd. Voss. II, IV, O. I, Harlej. primae edd.

v. 16. *metuisse* M.

v. 17. *perfecta* Voss. IV, Perrej. ed. Reg. Lep. Brix.

v. 18. *veretur* Lachm. e conj.

v. 20. *timentis* Cod. et edd. Scalig.

An mihi non major carae custodia matris?
  Haud sine te vitae cura sit ulla meae:
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
  Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam, seu contra laetus amicis:
  Quicquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.
Tu modo quam primum corruptas desere Bajas:
  Multis ista dabunt litora dissidium,
Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
  Ah pereant Bajae, crimen amoris, aquae.

ELEGIA XII.

AD AMICUM.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
  Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est milia lecto,
  Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

---

v. 21. *At* O. 2. a m. pr. Ask. *sit major* Vatic. II, Perrej. *An sine te* Voss. III, B. II. *Haud sine* Gr. Lachm.: *Ah, mihi non major* cet. Vulg.: *An mihi non major* cet. signo interrogationis post *meae* addito. *An mihi sit* Bahrdt. quam, ut ait, antiquam lectionem Burm. non improbat, conjiciens praeterea: *At mihi non major — ut sine te.* Bekius: *An mihi nunc major.*

v. 26. *semper* p. *dicam* Voss. IV.

v. 28. *dabant* Bonon. Voss. *dabunt* vulg. at Burm. in annot. praef. *dabant* ut sq. v. *fuerant.*

v. 29. *fuerant* Mss. fere omnes primae edd. Lachm. *fuerunt* vulg.

v. 30. Huic v. sequens elegia annectitur in Leidd. Voss. 4. Regg. Colbb. B. 2, O. 2, Ask. Pal. Borr. Guarn. Vatic. Gr. edd. vett. Brix. Ald. I. Colin. aliis.

ELEG. XII.

v. 4. *Quantum* libri omnes et Lachm. *Quanta* em. Heins. vulg.

Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiae fuimus? num me deus obruit, an quaè
Lecta Prometheis dividit herba jugis?
Non sum ego, qui fueram; mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctis
Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.
Felix qui potuit praesenti flere puellae!
Nonnihil adspersis gaudet amor lacrimis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

ELEGIA XIII.

AD GALLUM.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem:
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces,
Fallere te nunquam, Galle, puella velit.

---

v. 5. *complexu* Voss. IV, Ask. Gr.

v. 6. *dulcius* O. II, a m. pr. *sonus* p. *sonat* Lachm. e conj.

v. 9. *sumus* Voss. II. *num* Heins. Vatic. Posth. Livineji edd. Aldd. Gryph. Junt. Collin. Rovill. Mur. Scal. *nunc* Voss. IV, Gr., Colb. in marg. Palat. *non* Leidd. Regg. Colbb. Voss. I, II, O. 2, B. 2, Dresd. Neap.

v 19. *Me* Exc. O. 2, Gr. *desistere* Vatic. I, II, Perrej. Exc. Dresd. *nec* Borr. pr. Hufskius ad Tib. p. 355. *dissistere* Neap. Voss. II.

Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quaeris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, et primo lapsus abire gradu.
Haec erit illarum contempti poena doloris:
Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi vulgaris istos compescet amores,
Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus:
Vidi ego: me, quaeso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros;
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus,
Nec sic coelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Oetaeis gaudia prima jugis.

ELEG. XIII.

v. 6. *viam* Palat. Gebb. Guarn. Voss. I, III, B. II, in marg. *moram*. *notam* Colb.

v. 8. *adire* Leid. Voss. 4, O. 2, B. II, Gr. Borr. Dresd. Colbb. Aldd. *abire* Heins. Vatic. I, Palat. Gebb. *amore* Regg. Comel. edd. Volsci, Beroaldi, Venett. Brix. *lapsus amare* Colot. *lassus* Dresd. et conj. Heins. probantibus Burmannis.

v. 10. *exigit* Leidd. II, Ask. primae edd. Ven. Aldd. Brix. Colin. *erigit* Colbb. *exiget* cett. codd.

v. 11. *componet* Voss. 3, Vatic. Comelin. B. II, qui in marg. *compescet*.

v. 15. *totum* M. Dresd. *victum* Vatic. Voss. I, IV, O. I, Regg. M. edd. primae. *unctum* Dresd.

v. 16. *insertis* O. I. a m. sec.

v. 17. *verbis* Codd. p. *labris*, quam v. Passerat e vett. libris reduxit. *aptatis* Burm. major correxit, pr. B. minore et Santenio.

v. 24. *in Oetaeis* codd. et

Una dies omnis potuit praecurrere amantis:
  Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
  Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Jove digna et proxima Ledae,
  Et Ledae partu, gratior una tribus;
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
  Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit felix, quoniam novus incidit error:
  Et quòtcunque voles, una sit ista tibi.

ELEGIA XIV.

AD TULLUM.

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeris mireris currere lintris,
  Et modo tam tardas funibus ire ratis,

---

edd. vett. correxit Scalig. pro *jugis* Schraderus *rogis*.

v. 25. Heins. conj.: *Una adeo haec omnes*. Burm. vult.: *Una adeo en omnes*. Lachm. in textu: *Una dies omnis potuit praecurrere amores*.

v. 28. *adduci* Gr. M. O. 2, Voss. II, B. I, Vlamingii l. Vatic. Livin. Palat, Gebh.

v. 29. *dignae proxima* em. Heins. rec. Lachm. *digna et proxima* vulg.

v. 30. *Ledaei et partus* Heins. vult.

v. 33. *Utere* Leidd. Voss. 4, O. I, B. 2, Gr. Borr. Guarn. octo Mss. ap. Broukh. rec. Lachm. *Urere* Perrej. Palat. (Vaticanum sic habere negat Lachm.) edd. Ven. 1500, Brix. aliae Beroald. Burm. *lumine* Leid. II, Voss. IV, O. II. Borr. Gr. Vatic. II. et B. II. in marg. edd. primae.

v. 36. *Ut* O. II. *quaecunque* Voss. II, III, O. II, Heins. *quocumque* Dresd. Exc. M. Regg. Colbb. Vlaming. edd. priscae. *quicumque* Vatic. V. *quotcumque* em. Dousa P. et alii rec. Broukh. vulg.

Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
  Urgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
  Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub aequoribus;
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges,
  Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet amore?
  Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
  Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
  Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto juvenem versare cubili.
  Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
  Regna, nec Alcinoi munera despicere.

ELEG. XIV.

v. 5. *Et nemus unde satas* Lachm. conj. *Ut nemus* ed. in us. Delph.

v. 13. *nova gaudia* Vatic. II, O. II. *sua gaudia* conj. Burm. ad Lotich. et ad h. l.

v. 15. *Num* Gr.

v. 16. *gaudia* Voss. IV. *sint* Neap. Perrej. edd. Scaligeri vulg. *sunt* cett. codd. et edd. vett.

v. 19. *abrutum* vel *abrabum* in Mss. esse Heins. narrat et conj. *auratum*, *aeratum*, *Attalicum*. Graevius. *atratum*. Burm. *Arabium — conscendere lectum*. *conscendere* Vatic. Ment. edd. Ald. 1502, Junt. Colin. Grass. Scalig.

v. 22. *relevent* Leid. Voss. 3, Borr. Ask. B. II, pr. Heins. et p. *variis* conj. *Phariis* pr. Burm.

v. 23. *Lyda* p. *ulla* conj. Markl.

v. 24. *vel* Markl. et Guarn. Bonon. Vatic. V, Neap. M. alii edd. Ald. II. Gryph. *nec* Gr. Regg. Dre d. Borr. duo Vlamingii, Leidd. vulg. *Neque* Lachm. e conj.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis,
Et potes hesternos manibus componere crinis,
Et longa faciem quaerere desidia
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus;
Multos illa dies incomptis moesta capillis
Sederat, injusto multa locuta salo,
Et, quamvis nunquam post haec visura, dolebat
Illa tamen, longae conscia laetitiae.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.

ELEG. XV.

v. 1. *jura* Perrej. M. Exc. Vatic. II. Borr. Gr. O. II, Colb. *signa* alii. *damna* edd. Aldd. Colin. Gryph. cet. *dura* Palat. 2, Comel. Neap. Heins. Leid. II, O. I, edd. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc.

v. 5. *hesternos* Colb. Heins. Neap. Voss. II, O. I. *externos* cett. codd. et pr. edd.

v. 7. *radiare* Comel. rec. Broukh. vulg. pr. Forcellin. *variare* cett. omnes.

v. 9. *digressum mota* Gr. *immota* conj. Graevius rec. Lachm.

v. 10. *deserte* M. *Deserta Ogygiis fleverat aequoribus* conj. Burm.

v. 13. *post haec* Gr. Voss. III, B. II, Neap. ed. Lachm. *posthac* vulg.

v. 15 et 16. post v. 20. trans-

Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Conjugis Evadne miseros elata per ignis
Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis
Cynthia, et oblitos parce monere deos,
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
Sis quodcunque voles, non aliena tamen.
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quas saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?

---

posuerunt Markl. et Schraderus. et sic nos Lachm. eos post v. 22. collocavit.

v. 21. (19) *ablata* Lachm. e conj. *delata* M. Palat. pr. ap. Gebh.

v. 23. *amores* Voss. IV, B. I, O. II.

v. 27. *Audax ah nimium, et nostro* Lachm. e conj.

v. 28. *mihi* p. *tibi* Vatic. I, V. Colot. pr. Markl. Burm.

v. 29. *Multa* codd. et edd. primae. *Muta* conj. Muret. *Nulla* Passerat. liber. *labentur* omnes fere codd. rec. Lachm. *labantur* Muret. lib. vulg. v. Hufsk. ad Tib. p. 440.

v. 33. *Quam tibi me* Leid. I, Voss. 3, O. 2, B. I. *Quam tibi ne* Colbb. Exc. B. II. M. (?) Ask. Dresd. v. c. Passerat. Neap. *nae* Neap. II. *Quam mihi ne* Leid. II, Gr. Voss. IV. *Quam mihi, ne viles* Regg. *Quam in ne* Posth (?). *Quamve mihi viles* Beroald. vulg. *Nam mihi ne* Schulzius rec. Lachm.

v. 36. *Et tibi* Voss. I.

v. 39. *Quid* Borr. M.

Quis ego nunc pereo, similis moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis!

ELEGIA XVI.

VERBA JANUAE CONQUERENTIS.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Janua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrimis humida supplicibus;
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollae
Semper et exclusi signa jacere faces;
Nec possum infamis dominae defendere noctis
Nobilis obscoenis tradita carminibus.
Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et saecli vivere luxuria.
Has inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos nunquam patitur requiesere postis,
Arguta referens carmina blanditia:
Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?

ELEG. XVI.

v. 11 et 12. uncis inclusit Lachm. cf. Husck. ad Tib. II, 4, 17.

v. 13. *Haec* Passerat. cod. et Heinsii Exc. vulg. *Has* codd. et edd. priscae.

v. 14. *Supplicis a longis tristior excubiis* Leidd. Vo s. 3, Ask. O. I, B. II, Lachm. *ex longis* O. II. *Supplicis ah* Palat. Gebb. cod. Passerat. et Heinsii. *ah longas excubias* Broukh. correx. vulg.

v. 17. *precibus crudelior* Burm. conj.

Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona jacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos nunquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cava mea vocula rima,
Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget et invitis spiritus in lacrimis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto;
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
Victa meis nunquam, janua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
Quae solet iratus dicere trita loco.

---

v. 22. *Turpis* Leid. Borr. Voss. 3, Colbb. O. 2, B. 2, Guarn. vulgatae pleraeque ante Broukh.

v. 23. *plena* Leidd. Voss. 4. Regg. Colbb. Borr. Ask. O. I, B. 2. Bon. Guarn. edd. primae.

v. 25. *labores* vulg. primus, ut Lachm. arbitratur, Scalig. tacite, Heins. idem e duob. libris. *dolores* Voss. 3, O. 2, B. I, a m. sec. M. Borr. Gr. Ask. Regg. Colbb. cett. edd. primae. rec. Lachm.

v. 26. *Responde* Leid. II. Exc. Reg. edd. pri cae Ven. 1500, Ald. I, Henricpetr. cet. *carminibus* Gr. B. I. Borr.

v. 29. *torrentior* Comelin.

v. 33. *nexa* Palat. Gebh.

v. 38. *Quae solet irato dicere tota loco* Leidd. Voss. 4, O. I, B. 2, Gr. Borr. Regg. Colbb. Bon. et Gebhardi libri edd. primae. *tota* Ask. in marg. *verba*. *verba* O. II. Ald. sec. Colin. Gryph. *irato* Dresd. *turba loco* id. sed *tota* in marg. *Quae solet immerito* v. c. Passer. *iratus* Exc. *trita* v. c. Scalig. *turba* Perrej. Colot. Vatic. I, II. *tanta* Vatic. V. *ingrato* Fruterius. *Quae solet irato dicere tuta loco* ed. Rovill. Lugd. 1559. *in-*

Ut me tam longa raucum patiare querela
  Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
  Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuas quoties verti me, perfida, postis,
  Debitaque occultis vota tuli manibus!
Haec ille, et si quae miseri novistis amantes,
  Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
  Fletibus aeterna differor invidia.

ELEGIA XVII.

AD CYNTHIAM DE MARIS TEMPESTATE.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
  Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope solidam visura carinam est,
  Omniaque ingrato litore vota cadunt.

---

grato J. Dousa in ejus margine, *multa* p. *tuta* legi in aliis annotans. *ingrato dicere multa loco* Graevius. *Irato dicere po- ta joco* Heins. *ingrato dicere torva loco* id. rec. Lachm. *acer- ia* p. *torva* id. *iratus dicere rita loco* em. Scalig. ed. 1582 ec. Broukh. vulg. *tuta* p. *trita* d. Scalig. 1600. *ingrato d. tu- us loco* Ganterus. *irato d. rita joco* Markl. *irato joco* Ayrm. *verba* p. *trita* Francius. *ingrato* Frecterius.

v. 42. *fixa* p. *nixa* conj. Graev. Heins. Ayrm. Burm. *fixa* vel *spissa* Eldikius. *inplexis* Voss. IV. *imprexis* Ask. *manibus* Borr. Heins. *inspersis mixta dedi lacrimis* Eldik. *inflexis fixa dedi genibus* conj. Burm. *genibus* et Passerat.

v. 47. *nunc semper amantis — alterna* Markl. pr. Burm.

ELEG. XVII.

v. 2. *Huc ego* Borr.

v. 3. *Cassiope* primus ed. Domitius 1475. Sic correxerunt Puccius et Syncliticus. *solito visura carinam est* vulg. *Est* in fine v. addere jam Puccius jusserat et Pocchus. Santen. p. 1823. *Casyope, Casiopae, Calliope, Caliope*

Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
  Adspice, quam saevas increpat aure minas.
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
  Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas,
  Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicunque rates et vela paravit
  Primus, et invito gurgite fecit iter!
Nonne fuit levius dominae pervincere mores
  (Quamvis dura, tamen rara puella fuit)
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
  Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
  Ultimus et posito staret amore lapis;
Illa meo caros donasset funere crinis,
  Molliter et tenera poneret ossa rosa;
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
  Ut mihi non ullo pondere terra foret.

---

codd. *solitam* Ven. 1500. *solidam* Wyttenb. Bibl. cr. l. l. *e solio* conj. Heins. *Cassiopes statio* Lachm. *carina* vel *carinam est* varii Codd. *Cassiopen solito visura carina est* conj. Burm.

v. 6. *increpet* Voss. codd. Dresd. ed. Burm.

v. 15. *levius* Perrej. Voss. 5, O. I, B. II, Colb. Neap. II. Bonon. ed. pr. Volsci 1482. Lachm. *dominae melius* O. II. *melius* vulg. et cett. libri omnes, neque aliter ed. Vicent. 1481, Beroald. 1487, Volsci ed. II. Burm.

v. 16. *cara* nonnulli codd. et Wyttenb. l. l.

v. 19. *sepelirent* Exc. edd. Gryph. Scalig. cet.

v. 20. *honore* Exc. pr. Wyttenb. et Burm. *exposito* Graev. Heins. qui et *apposito*. *exposito* pr. Burm.

v. 24. *Ut mihi* codd. edd. fere omnes. *Tu mihi* Memmian. *Tum mihi* Passer. Broukh. vulg. Burm. in annot. *Ut* praef.

At vos aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

ELEGIA XVIII.

LAMENTATUR SOLUS.

Haec certe deserta loca, et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felicis inter numerabar amantis,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae caussa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina dejectis turpia sint lacrimis.
An, quia parva damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?

---

v. 26. *vela noto* Voss. I, III, B. 2. *notho* Guarn. *choro* rell. mnes.

ELEG. XVIII.

v. 8. Lege *moram*, dicit Hufsk. nal. ad Tib. p. 686.
v. 9. *crimina* Perrej. Colot. onj. Lips. *carmina* codd. et ld. vett.
v. 16. *delectis* Leid. D. I, ropert. Eleg. Neap. *dilectis* Voss. I, II, Dresd. B. II. *deletis* Heins. Gr. *dejectis* Borr. vulg. *defectis* conj. Heins. pr. Burm.
v. 17. *calore* Gr. B. II. in marg. a m. recentiori. Livinej.

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, et Arcadio pinus amica deo.
Ah quoties vestras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et teneris CYNTHIA corticibus!
An, tua quod peperit nobis injuria curas,
Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
Jussa, neque arguto ficta dolore queri.
Pro quo, divini fontes, et frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies;
Et, quodcunque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus avis.
Sed qualiscunque es, resonant mihi CYNTHIA silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

Non ego nunc tristis vereor, mea Cynthia, Manis,
Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exsequiis.

---

lib. edd. primae Aldd. vulg. *colore* cett. codd. pr. Burm. *rara* p. *parva* conjiciens.

v. 19. *amata* Voss. I, III, O. 2, B. II, edd. Aldd. Rovill.

v. 21 et 22. *teneras — umbras* et *vestris — corticibus* omnes codd. et edd. vulg. *tremulas* Vatic. I. Colot. alii ap. Passerat. Schraderus et Koppiers transposuerunt non impr. Burm. sec. Lachm.

v. 26. *ficta* Memmian. Vatic. I, *fata* et *facta* cett. codd. *facta* Lachm.

v. 27. *divini fontes* codd. et edd. pr. *Di*, *vivi fontes* em. Scalig. vulg. *Di nivei montes* Lachm. e conj., *clivosi* in annot. conjiciens. *Clitumni fontes* Gruter. *Dumosi*, *devexi*, *continui montes* Heins. *Di*, *nudi montes* Markl. *devexi fontes* alius.

Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundae conjugis heros,
Non potuit caecis immemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic, quidquid ero, semper tua dicar imago,
Trajicit et fati litora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris:
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior: et Tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
Quae tu viva mea possis sentire favilla,
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto,
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentis!
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes,
Non satis est ullo tempore longus amor.

ELEG. XIX.

v. 5. *noster* M. B. 2, Voss. 4, Regg. Colbb. Gebh. cod. edd. pr. *nunc puer* Guarn. edd. vett. *nostris* cett.

v. 13. *vernant* Colot. Vatic. I.

v. 16. *Gratior, et Venus hoc, si Dea justa, sinat* conj. Burm.

v. 17 et 18 post v. 19 et 20. Lachm. *tuis* alii codd. pr. Burm.

v. 19. *Qua tu viva* Leidd. Voss. 4, O. 2, B. 2, Ask. edd. pr. *Quae sine te (si in te* aff. Bahrdt) *me possis* Passerat. cod. *Quae sine te viva possim* Passerat. conj. *Quod si viva meas possis s. favillas* Ayrm. *Cum tu viva meam possis sepelire favillam* Eldikius.

v. 20. *rogo* Leid. Heins. Borr.

v. 22. *a* Voss. 3, Gr. O. 2, ed. Ald. *en* Bonon. Ald. II, Gryph. II, Muret. Gebh. Livin.

ELEGIA XX.

AD GALLUM.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
  Id tibi ne vacuo defleat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
  Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
  Thiodamanteo proximus ardor Hylae.
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
  Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
  Sive ubicunque vago fluminis hospitio:
Nympharum semper cupidas defende rapinas,
  (Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin.)
Ne tibi sit (durum!) montis et frigida saxa,
  Galle, neque expertos semper adire lacus:

ELEG. XX.

v. 7. *Nunc* Leidd. Voss. I, IV, O. I. edd. primae. *Hunc* Bon. Vatic. Dresd. Gr. Pocchus. *legis* Leid. II. Regg. edd. pr.

v. 10. *vagi fluminis* Voss. Heins. edd. Aldd. I. Colin. conj. Auratus pr. Passeratius.

v. 11. *cupidas semper* Voss. 3. Borr. ed. Gryph. *semper cupidas* Vatic. V, M. *semper cupidis d. rapinis* Gr. Pocchus.

v. 12. *Adriacis* Bon. Guarn. Palat. II. Comel. Dresd. Regg. Colb. Gr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. II. Vatic. ascr. *amadriacis* et sic Posth. *hadriacis* Pal. I. edd. pr. Venetae, Reg. Lep. Volsci *in Dryadis* Beroald. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Rovill. cet. *in Driasin* cod. vet. Perreji *in Dryasin* em. Lipsius rec. edd. Graev. Leid. Londin. *et Dryasin* Heins. *ah Dryasin* em. Scalig. vulg. *Hydriasin* Lachm.

v. 13. *Nec tibi sit durum* M. Borr. Gr. Ask. Leidd. Voss. III, IV, Dresd. *Ne durum* Regg. Colb. Palat. Comelin. edd. priscae. *Ne, tibi sint duri* Guarn. Colb. II, Voss. I, II, O. 2, Neap. B. II. *duros* v. c. Passerat. *duro* Exc. *Nec tibi sint duri m. nec* Bon. *Ne tibi sim duri* Palat. *duros montes* Lips. vulg. *Ne tibi sit (durum!) montes et fri-*

Quae miser ignotis error perpessus in oris
  Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
  Egressam, longe Phasidos isse viam,
Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum placidis ut constitit oris,
  Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
  Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
  Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
  Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
  Et volucres ramo submovet insidias.
Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
  Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin,

---

gida saxa Lachm. praeeuntibus Gronovio et Francio. *turbida* Mur. lib. Regg. Colb. Leid. Voss. II. Borr. *tumbida* Vatic. *torrida* em. Gronov. vulg. *frigida* in annot. pr. Burm.

v. 17. *Argon* codd. et edd. primae pr. Markl. *Argo* ed. Volsci 1482.

v. 21. *Placidis* codd. Lachm. *placitis* conj. Heins. vulg.

v. 26. *Zethus* vel *Zetus* Mss. *Zethes* omnes fere edd. correxit Burm.

v. 27. *palmis* codd. rec. Lachm. *plumis* vulg. e Livineji conj.

v. 29. *subducitur* M, Voss. Ask. Guarn. *seducitur* Bonon. *concluditur* Regg. Leidd. II, III, edd. pr. *producitur* Voss. III. *succluditur* Voss. IV. *subcluditur* Dresd. Colb. O. I, Borr. *Ille sed extrema pendentes ludit in ala* Heins.

v. 31. *cessit* Voss. I, O. II, Gr. M. Lachm. *cessat* Reg. *cesset* cett. codd. et edd. Burm.

v. 32. *ibat Hamadryas hinc* plerique codd. et edd. pr.

v. 33. *Phlegae, Phlegre, phe-*

Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus
Et circumriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus;
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem praetulit officio
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensae Dryades candore puellae,
  Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore,
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus servabis amores
  Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

---

ge, *Phelegre*, *phrege*, *phegae*, *phlege*, *fege*, *phegi* codd. *Pegae* em. Scalig. rec. Lachm. *Pege* Turnebus vulg.

v. 35. *nulli* Voss. IV, edd. Aldd. Junt. Gryph. Colin. et alii codd.

v. 36. *Rosida* omnes fere codd. et edd. pr. *Roscida* Gryph. pr.

v. 39. *Quem* M, B. I.

v. 45. *Cujus et* nonnulli codd. et edd. *Hujus at* em. Heins. *Cujus inaccensae* duo libri Lipsii.

v. 47. *Prolapsum et* conj. Heins. pr. Burm. *texere* Voss. III, Perrej. edd. Ald. I, Ven. 1500 Junt. Colin. Gryph. aliae,

v. 49 et 50. *Responsa det: illi* Lachm. *rapto corpore fecit, Hyla Cui procul Alcides iterat. Responsa sed illi* Rutgers. pr. Hemsterh. *Quem procul Alcides iterat, responsa sed illi* Heins. id. *montibus* pro *fontibus*. rejicit omnia B. *Cui procul Alcides ter Hyla responsat: at illi* Fontein. et Hufsk. ep. cr. p. 22.

v. 51. *monitus* Commelin. Dresd. Colot. c. Perreji Vatic. II, Neap. O. I. *monitis* vulg. Distinctionem post amores, quae in vulg. est, Markl. sustulit.

v. 52. *visus* Leidd. Voss. 4, Gr. Colb. O. 2, B. 2, Borr. Regg. *tutus* e suo libro Scalig.

ELEGIA XXI.

GALLUS LOQUITUR.

Tu qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
  Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato, ut possint gaudere parentes,
  Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Caesaris ensis,
  Effugere ignotas non potuisse manus;
Et quaecunque super dispersa invenerit ossa
  Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM DE PATRIA SUA.

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
  Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae,
  Italiae duris funera temporibus,

---

vulg. *nisus* vel *rursus* alii Mss. *jussus* Vatic. V, Colb. II, Dresd. *nisus* vel *cautus* conj. Heins. *fisus* Lachm. e conj.

ELEG. XXI.

v. 3. *Qui* Gr. Comelin. Lachm. *Quid* vulg.

v. 5. *ut possint* omnes codd. Lachm. *Sic ut* Bon. *ut* ejecit Passer. vulg.

v. 6. *Nec soror* Vatic. V, Gr. Leidd. Regg. Colb. Voss. III, IV, B. I, Borr. Guarn. Dresd. Bon. Lachm. *Ne* Neap. Voss. 2, O. 2, B. II, Colb. II. *Haec soror* Beroald. vulg. *acta* codd. Lachm. *Atta* O. I. *apta* Palat. Gebh. *uda* vel *aucta* conj. Heins. *Acca* Scalig. emend. vulg.

v. 7. *ignes* Reg.

v. 9. *Ut quaecunque* ex v. c. Passer. pr. Burm. *Et quaecumque* Scalig. *Et quicumque* cett. codd. et edd. vett.

ELEG. XXII.

v. 3. *sepulcra* codd. edd. pr. aliaeque Lachm. *sepultae* conj. Scal. est in Memmiano vulg.

v. 4. *et* post *Italiae* inserit Lachm. e conj.

Cum Romana suos egit discordia civis:
(Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor,
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo.)
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

---

v. 6. *Sic* M.[a] Voss. III, Vlamingii l. O. II, Lachm. *Sit* Leid. II, Voss. I, II, IV, Regg. Colbb. Borr. O. I, Ask. B. II. edd. pr. *Tu mihi* B. I. *Sis* em. Scalig. vulg. *Fis* conj. Heins.

SEXTI AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER II.

ELEGIA I.
AD MAECENATEM.

Quaeritis unde mihi toties scribantur amores?
  Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo.
  Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere totis,
  Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superba comis:

ELEG. I.

v. 3. *dictat* codd. Palatini rec. Burm. *cantat* cett. codd. et edd. omnes. *Non mihi Calliope* Leidd. Borr. B. 2, Dresd. Comelin. Palat. membr. Regg. Colb. edd. pr. Ald. I. Colin. Grasser. *Non mi C.* edd. Dousarum et aliae. *hoc-hoc* Exc. *haec-haec* Colb. II, v. 5—10 ap. Lachm. sic positi: 9, 10, 7, 8, 5, 6.

v. 5 et 6. *Chois — cogis* Leid. Voss. 2, Vatic. II, V, O. 2, Heins. in marg. Ask. et B. II. Bon. Dresd. *Caeis — cogis* Gr. *incedere vidi* Voss. IV, *Cois — vidi* Vatic. Livin. *Ceis* et *Cea* Leid. II. *togis* Regg. Colb. Borr. II. et in marg. *cogis*. *Caeis togis* edd. pr. *Coea* Gr. *Hoc* et *de Coa* omitt. Voss. IV, Ask. *totum de Coa* Schrader. in Obs. II. c. 6. cl. Emend. p. 113 et 114. pr. Koppiers. *novi* p. *cogis* Hufsk. ep. cr. p. 12. *coccis* et *in Coa veste* Lachm.

Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, facilis ut premat arte manus:
Seu cum poscentis somnum declinat ocellos
Invenio causas mille, poeta, novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas:
Seu quidquid fecit, sive est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut coeli Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, et benefacta Mari,
Bellaque resque tui memorarem Caesaris et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta, Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae,
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae
Et Ptolemaeae litora capta Phari,

---

v. 9. *lyra* Hemsterh. cf. Hufsk. in Anal. crit. p. 95. *percussit* codd. edd. *percurrit* Burm. e conj. Dousae F.

v. 10. *premit* Posth. ap. Livin. Guarn.

v. 11. *somnus* Leid. II, O. II, Gr. Regg. edd. pr.

v. 17. *Quid mihi* Leid. II. edd. pr. aliaeque Aldd. Colin. Muret.

v. 20. *Inpositam* Lachm. e Neap. *coeli* codd. edd. vett. et aliae. Lachm. *coelo* Broukh. e conj. vulg. pr. Hufsk. ad Tib. p. 703.

v. 21. *Nec veteres* Gr. Neap. Colb. II, Voss. I, III, O. 2, B. I. pr. Burm. *Non* vulg.

v. 22. *Xerxive imperio* Lachm. e conj. in addendis aliam conjecturam addens: *Xerxi aut* cf. Hufsk. ad Tib. p. 346.

v. 24. *Cimbrorumve* Lachm. e conj.

v. 29. *Eversosve* id.

v. 30. *Aut* id.

Aut canerem Cyprum et Nilum, cum tractus in urbem
  Septem captivis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circumdata colla catenis
  Actiaque in Sacra currere rostra via,
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
  Et sumpta, et posita pace fidele caput.
[Theseus infernis, superis testatur Achilles,
  Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.]
Sed neque Phlegraeos Jovis, Enceladique tumultus
  Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
  Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
  Enumerat miles vulnera, pastor ovis.
Nos contra angusto versamus proelia lecto.
  Qua pote quisque in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
  Posse frui; fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa levis culpare puellas,
  Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
  Pocula privigno non nocitura suo:

---

v. 31. Sic codd. *Cyptum* Neap. *nullum contactus* M. *contractus* Voss. I, O. I, Posth. *attractus* Neap. Voss. II. *qui tractus* Voss. III. *captus ad* Voss. IV, *et nilum contractus in urbem* B. I. *in orbem* ed. Gryph. *Aegyptum* primae editt. pro *Cyprum* vulg. *canere inciperem et Nilum* Lachm.

v. 33. *Et* p. *aut* Lachm.

v. 35. *contexuit* Gr. *contexerit* codd. edd. Volsci 1488 et Brix. Cett. *contexeret*.

v. 37 et 38. Burm. inl. I. el. 19 post v. 6. transponendos censet. *superis ceu fatur Achilles* Lachm.

v. 45. *versantes* codd. ed. Vicent. Volsc. 1488 Brix. Lachm. *versamus* Beroaldus 1482 vulg.

v. 47. *laus si datur altera vivo* Dresd. Regg. Colbb. edd. vett. Brix. *altera in uno* B. I. edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliae. *vivo* Borr. Vatic. I, II, M, Perrej. et v. c. Passer. vel *altera si datur uno*, ut Leidd. Voss. III, in marg.

v. 49. *Si memini* codd. Lachm. *Sed m.* Vatic. Liv. vulg.

v. 51. *sunt* Voss. II, IV, M,

Seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
 Colchis Iolciacis urat ahena focis.
Una meos quoniam praedata est foemina sensus,
 Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnis humanos sanat medicina dolores,
 Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
 Phoenicis Chiron lumina Phillyrides
Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
 Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus et Aemonia juvenis qua cuspide vulnus
 Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
 Tantaleae poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
 Ne tenera assidua colla graventur aqua;
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
 Brachia, et a medio pectore pellet avem.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
 Et breve in exiguo marmore nomen ero;
Maecenas, nostrae spes invidiosa juventae,
 Et vitae et morti gloria justa meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
 Esseda caelatis siste Britanna jugis,
Taliaque inlacrimans mutae jace verba favillae:
 HUIC MISERO FATUM DURA PUELLA FUIT.

Borr. Neap. Vatic. V, Pall. Gebb. Francii 2, Dresd. Lachm. *Sint* edd.

v. 53. *est* codd. et edd. vett. Lachm. omittit vulg. *sanguine* p. *gramine* Voss. I, III et B. II. in marg.

v. 54. *Colchiacis* codd. *Iolciacis* em. Scalig. vulg.

v. 66. *Tantalea* codd. p. *tradere* Heins. conj. *radere*, Burm. et Latinus Latinius: *Tantalea — carpere*.

v. 73. *pars* Vatic. I, V, O. II, Gr. ed. Ven. 1500. Beroald.

v. 75. *ducit* B. I.

ELEGIA II.

CYNTHIAE LAUDES.

Liber eram, et vacuo meditabar vivere lecto:
  At me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
  Juppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto
  Corpore, et incedit vel Jove digna soror,
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
  Gorgonis anguiferae pectus operta comis;
Qualis et Ischomache, Lapithae genus heroinae,
  Centauris medio grata rapina mero;
Mercurio et sanctis fertur Boebeïdos undis
  Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite jam, divae, quas pastor viderat olim
  Idaeis tunicam ponere verticibus.

ELEG. II.

v. 1. *Quaerebam* Broukh. et Burm. *meditabar* codd. edd. vett. Lachm.

v. 4. *ignoro* Regg. Colbb. Borr. Vatic. I, II, Neap. M. Gr, Exc. B. 2, O. edd. vetustae vulg. *ignosco* ed. princ. 1472, Ven. Aldd. Colin. pr. Burm. in annot.

v. 6. *incedit ceu Jove digna viro* conj. Heins. *vel Jove dignus amor* conj. Lachm.

v. 7. *Ut quum* Colot. pr. Lachm. *Munychias* Perrej. Vatic. I, II. conj. Heins.

v. 11. *Mercurioque satis* Exc. Scalig. et Modii. *Mercurio satis* Neap. Gr. Colb. II. Bon. (in marg. *qualis*) B. II, Voss. I, III, et in marg. *Sais*. *Mercurio qualis* Colot. Vatic. I. pr. Wyttenb. l. l. *M. Sais* Vicent. 1487. Brix. Ven. *Mercurioque Sais* Aldd. Colin. Rovill. Gryph. Volsc. Beroald. *M. sanctis* Regg. Colbb. Leidd. Voss. IV, B. I, O. 2, Ask. Dresd. Mureti l. ed. Ven. 1475 Reg. Lep. 1481. *M. et patrias fertur Boebeis ad undas* conj. Heins. *M. Ossaeis* (*Ossaeae*) *fertur* B. *undis* conj. Burm.

v. 12. *primo* codd. *Brimo* Turneb. et Scalig. e conj.

v. 14. *tunicas* v. c. Scalig. Gr. Voss. I, III, IV, O. 2, B. II, Vatic. Bon. Guarn. Dresd. edd. vett.

Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
    Et si Cumaeae secula vatis aget.

ELEGIA III.

ADVERSUM SE.

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
    Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
    Et turpis de te jam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena,
    Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis.
    Differtur, nunquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit,
    (Lilia non domina sint magis alba mea;
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
    Utque rosae puro lacte natant folia:)
Nec de more comae per levia colla fluentes,
    Non oculi, geminae, sidera nostra, faces;
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella:
    (Non sum de nihilo blandus amator ego)

---

v. 15. *senectus* codd. Lachm. *vetustas* Scalig. e conj. vulg.

v. 16. *Et sic — agat* Palat. Comelin pr. Markl. et Burm. *agat* Vatic. Voss. IV, O. II, M, Heins. Ask. *Cumanae* Gr.

ELEG. III.

v. 1. *nullum* codd. *nullam* Broukh. et Heins.

v. 3. *Vix potes infelix u. req. m.* Dresd. Vatic. V, Broukh. pr.

v. 7. *serenis* Leid. Voss. I, Colb. B. I. et in marg. B. II.

v. 9. *Non tantum* O. I.

v. 10. *sunt* duo Broukh. ed. Burm. invito, ut videtur, Burm. *sint* codd. vulg.

v. 11. *certat* Gr. pr. Burm. *Naeotia* vult Heins.

v. 12. *natent* Voss. I, IV. Neap.

v. 15. *Nec si quando Araba*

Quantum, quod posito formose saltat Iaccho,
  Egit ut evantis dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
  Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt coelestia munera divi,
  Haec tibi ne matrem forte dedisse putes:

Puccius et Pocchus. Heins. praeterea: *Arabae puellae. Nec sic Arabio* ed. Lachm. *si quae* ed. Ven. *papilla* conj. V. D. Misc. Obs. I, p. 134.

v. 17. *Tam quantum posito* Vatic. V. *proposito* Dresd. *poto* alii. *jactat* Colbb. *Quantum cum* p. ed. Lachm.

v. 19. *quoque tentat* Bon. *quod t.* Guyetus pr. Burm. *cum t.* Lachm.

v. 22. *Erinne* Colot. codd. monstrose depravati. em. Volsc. nisi *quae* p. *que* legens. rec. Burm. Lachm. *aequaevis* ed. Scalig.

v. 23. *Nunc tibi* Voss. I, O. II, B. I. *Non tibi* Leid. Voss. III, *Nam* Hemsterh. *Et* post *nascenti* inseruit Lachm. e conj.

v. 24. *Aridus* Leid. Voss. I, Harlej. B. 2. edd. pr. et pleraeque. *Arduus* Voss. IV, O. II, Ask. Gr. Nestor in Vocabul. p. 123. *Ardidus* v. c. Perrej. Colot. Neap. Vatic. II, Leid. II, Voss. III, O. I. *Ardidus — avis* Dresd. *Candidus* v. c. Passer. Vatic. I. *Candidus Augustae* Macrobius de Differentt. p. 748. ed. Lips. *Fervidus* Beroald. *Aureus* conj. Heins. rec. Broukh. Burm. *Candidus augustum* Scaliger aliique pr. Hemsterh. *Candidus argutum* ed. Lachm. *argutum* codd. vulg. *augustum* conj. Pontanus pr. Lachm. in annot. *stertuit* Leidd. Voss. I, III, O, II, B. 2, Exc. Gr. Palat. II, Vatic. V, Guarn. Regg. pr. edd. Nestor. *terruit* Pal. I. *strepuit* Voss. IV. *omnis amor* Regg. Leid. II. edd. pr. *sternuit* Neap. (Dresd.?) Macrobius l. l. vulg.

v. 25. *contulerunt* Gr. O. II. *contulerint* cett. codd. et edd. vett. quae ex parte *ubi* p. *tibi* habent. *tibi* om. Neap. *contularunt* Beroald.

v. 26. *Stulte* p. *forte* Perrej. Voss. III, IV, Vatic. II. pr. Burm.

Non, non humani sunt partus talia dona,
  Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis.
  Romana accumbes prima puella Jovi,
Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
  Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
  Pulcrius hac fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
  Europae, atque Asiae causa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti;
  Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras:
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
  Vel Priamo belli caussa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
  Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
  Uret et Eoos, uret et Hesperios.

---

v. 29 — 32 ap. Lachm. 31. 30. 29. 32.

v. 30. *Romana accumbens* codd. fere omnes. *Romano loco* v. c. Scalig. ed. Broukh. *Romano accumbes Jovi* Beroald. Burm. *Romana — Jovi* ed. Vulpius, Lachm.

v. 33. *Hac ego non* Voss. III, O. II, B. I. *miror* B. I, Comel. *Ac ego* B. II. *Hanc* Voss. IV. *Ast ego* Colb. *ah* Regg. Leidd. II, edd. pr. *Hic ego nunc mirer* Mitscherl. Lectt. Catull. p. 118.

v. 34. *fuerit* Gr.

v. 35. *cur* Gr. rec. Broukh. Burm. *quod* cett. codd, Lachm. *in Pergama* Voss. III, Ald. II, Muret. Gryph. aliae. *tanti Pergama belli* Colb. Borr. Neap. O. 2.

v. 40. *Vel Priamo* Perrej. Neap. *us* tamen correctum ab ead. m. em. Heins. *Priamus* codd. edd. vett. *foret* Gr. M. Lachm.

v. 42. *in arce* Perrej. Vatic. II. *in arte* Colot. Vatic. V, Voss. 3, O. 2, B. I. ed. princ. Passerat. lib. *in ante* cett. codd. et edd. vett. Lachm.

v. 43. *ostendit* Leid. II, O. I, a m. pr. edd. priscae. *ostendat* Gr.

His saltem ut tenear jam finibus: aut mihi si quis
  Venerit alter amor, acrius ut moriar!
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
  Post venit adsueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
  Dehinc domiti posthaec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
  Cognitus Iphicli subripuisse boves.
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
  Mox Amythaonia nupta futura domo.

ELEGIA IV.

AD AMANTEM.

Multa prius dominae delicta quaeraris oportet:
  Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas.
Et saepe immeritos corrumpas dentibus unguis,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis;
  Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedeae gramina cocta manus.

---

v. 45 et 46. *Acrius ut moriar venerit alter amor* codd. *aut mihi ne quis* Poccius et Pocchus. *Hei mihi si quis* a. u. m. v. a. a. ed. Lachm.

v. 47. *At* Leid. Colb. *Ut* M. *aratra* Leidd. Voss. 3, O. 2, Gr. B. II, edd. pr. ed. Broukh. Burm. *aratra* cett. codd. Lachm.

v. 48. *Post* codd. Lachm. pr. Burm. *Mox* Broukh. e conj. vulg.

ELEG. IV.

v. 4. *strepitum* Voss. I, III, B. II. in marg. *crepitum*.

v. 6. *extenso* Voss. IV, O. II, nonnulli codd. Passerat. et Gebh.

v. 7. *nocitura* Voss. B. II.

v. 8. *Non per Medeae gramina cocta manus* codd. edd. vett. *Perimedeae manus* Exc.

Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala, certa via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger;
Huic nullum coeli tempus, et aura nocet.
Ambulat, et subito mirantur funus amici.
Sic est incautum quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo:
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

ELEGIA V.

AD CYNTHIAM.

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas,
Et nobis alio, Cynthia, ventus erit.

Colot. Beroald. Lachm. *Perimedea manu* Muret. em. vulg. *secta* e conj. Broukh. Burm. vulg.

v. 10. *certa* Colot. Vatic. I, Exc. Dresd. superscr. *coeca* em. Markl. *torta* Posth. *caeca* vulg. Lachm.

v. 13. *subitum* Perrej. Colot. Vatic. II. *miramur* Gr.

v. 17. *ipse* Dresd. Leidd. Voss. I. Exc. Modii, B. II. edd. pr. aliaeque. *puellas* vulg. *puellam* B. I, Borr. pr. Burm. ed. Lachm.

v. 19. *tum discedens* Voss. IV. *descendit* Pal. I, Leidd. Borr. Regg. B. I. et Voss. III, p. v. lect. edd. pleraeq. *descendit flumina* Gr. *descendis* Vat. V. *descendes* Comelin.

ELEG. V.

v. 3. *Hoc* Leid. B. I, edd. Ald. 1515, Muret. 1558, Rovill. Gryph. pr. Burm. rec. Lachm.

v. 4. *Aquilo* codd. edd. vulg. *aliquo* Lachm. e conj. *alio* conj. Burm. pr. Wyttenb.

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
  Quae fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
  Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
  Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
  Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
  Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis:
  Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominae Junonis dulcia jura,
  Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
  Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestis,
  Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi connexos iratus carpere crinis,
  Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia proelia quaerat,
  Cujus non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non unquam tua deleat aetas:
  CYNTHIA FORMA POTENS, CYNTHIA FORMA LEVIS.

---

v. 8. *Vendicet* Regg. Leidd. Voss. I. Exc. Borr. B. II. edd. pr. *Vindicet* Perrej. Vatic. II, Voss. III, B. I. *en sero* Palat. Colb. *amara* Colb. B. I. alii.

v. 9. *ruens* Palat.

v. 12. *acta* Palat. Bonon.

v. 15. *vel prima* conj. Heins. pr. Mitscherl. l. l. p. 118. *Ne* p. *nec* scribens.

v. 21. *perjurae* Voss. 3, Vat. I, B. II, Reg. Bon. Dresd. *perjure* ed. princ. *vestes* Exc. Modii Livin. lib. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2. edd. pr. *vestem* Gr. vulg. Lachm.

v. 23. *contextos* Heins. Perrej. Vatic. II. *solvere* Palat. *frangere* Voss. III. et *carpere* p. v. lect. ut in Gr. et Ask.

v. 27. *quod non umquam tua deleat aetas* codd. et edd. vett. Lachm. *deleverit* M. *Tua quod numquam deleverit aetas* Broukh. et Burm.

v. 28. *forma levis* Borr. Mu-

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae
  Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

ELEGIA VI.

AD CYNTHIAM.

Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
  Ad cujus jacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
  Tanta, in qua populus lusit Erichthonius,
Nec quae deletas potuit componere Thebas
  Phryne, tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
  Oscula nec desunt, qui tibi jure ferant.
Me juvenum pictae facies, me nomina laedunt,
  Me tener in cunis, et sine voce puer;
Me laedit, si multa tibi dedit oscula, mater,
  Me soror, et cum quae dormit amica simul.

---

ret. lib. B. I. vulg. *verba levis* cett. codd. et edd. vett. Lachm.

v. 29. *munera* Gr.

ELEG. VI.

v. 2. *pedes* Leid. Voss. I, III, Borr. Exc. B. 2, Guarn.

v. 5. *delectas* Pal. Voss. I, IV, Neap. O. I, B. II, Ask.

v. 8. *ne desint* Comel. Dresd. vulg. *nec desunt* codd. edd. vett. Lachm.

v. 9. *pictae facies* codd. Lachm. *facies pictae* vulg. *nomina* codd. Lachm. *numina* v. c. Passerat. vulg.

v. 11. *laedet—dabit* Regg. Colb. Leidd. Voss. 3, Bonon. Palat. edd. vett. *laedes* Dresd. Ask. Colb. II, B. II. *laedet* Guarn.

v. 12. *cum qua dormis* codd. edd. vett. *dormit* Muret. lib. *cum quae dormit* conj. Dousa F. rec. Broukh. Lachm. *qua* et Burm. *et si quae* vel *se tibi quae* conj. Heins.

Omnia me laedunt; (timidus sum; ignosce timori;)
  Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum est,
  His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
  Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor
  Nutritus durae, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
  Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti conjux et lectus Ulyxis,
  Et quaecunque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
  Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?
Quae manus obscoenas depinxit prima tabellas,
  Et posuit casta turpia visa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
  Nequitiaeque suae noluit esse rudis.
Ah gemat in terris ista qui protulit arte
  Jurgia sub tacita condita laetitia!
Non istis olim variabant tecta figuris;
  Tum paries nullo crimine pictus erat.

---

v. 13. *laedent* Borr. M. edd. vett.

v. 15. *Est* om. Lachm.

v. 20. *duro* Leidd. Voss. 3, B. 2, O. edd. priscae aliaeque.

v. 23. *Ulixi* e conj. Lachm.

v. 25. asterisci sign. ap. Lachm. ante h. v. *posuisse* Vat. V, Voss. III.

v. 26. *cuilibet* M, Voss. I, B. 1, Palat. II, Lachm. *quidlibet* vulg. *quilibet* Pal. I. *quolibet* Leid. II. *quod libet* Gebhard. *cuivis nurui quidlibet* Broukh. *cuivis nuptae, quo libet, ire licet* Toupius pr. Burm. Asterisci signum post h. v. Lachm.

v. 28. *jusse* Pal. Gebh. Voss. I, Leid. B. 2, Bonon.

v. 29. *corrumpit* Heins. Gr.

v. 30. *non sinit* Voss. III, Vatic. V.

v. 32. *Orgia* conj. Ruhnk. pr. Wyttenb. et Burm.

v. 34. *Cum* nonnulli codd. edd. vett. *Tum* optimi codd. ed. princ. Sequens distichon Lachm. asteriscis separavit.

Sed non immerito velavit aranea fanum,
  Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
  Quae nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
  Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Nos uxor nunquam, nunquam deducet amica,
  Semper amica mihi, semper et uxor eris.

ELEGIA VII.

AD CYNTHIAM.

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
  Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret, quamvis diducere amantis
  Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Caesar, sed magnus Caesar in armis;
  Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
  Quam possem nuptae perdere amore faces,

---

v. 35. *vitiavit* Gr. O. II. *Sed nunc praeteritum velavit* vel *Sed nunc emeritum* conj. Burm. pr. posteriorem conj. Wyttenb. transponens distichon post v. 36.

v. 37. *Quos igitur tibi custodes quae limina ponam* codd. vulg. *Quos igitur custodes quae tibi l. p.* Borr. B. I. *tibi custodes ad limina* conj. Hein. pr. Burm. *Quae ad limina* Lachm.

v. 41. *Hos uxor* Leidd. Voss. III. edd. pr. *Nos uxor numquam — me ducet* cett. codd. *Nos uxor — deducet* Volsc. 1483. *Nos uxor — diducet* Lachm. *Uxor me numquam numquam me ducet* a Beroald. vulg. *subducet* conj. Burm.

ELEG. VII.

v. 1. *es* codd. vulg. *est* conj. Schrader et Koppiers. rec. Burm. Lachm.

v. 5. *An* Dresd. Palat.

v. 8. *in ore* I. Borr. Reg. II. Leidd. Voss. III, IV, O. 2, B. I,

Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum qualis caneret tibi tibia somnos,
Tibia funesta tristior illa tuba!
Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quodsi vera meae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

---

edd. pr. aliaeq. *more* v. c. Passerat. Vatic. V, Ask. Neap. I, Bon. Dresd. Palat. Comelin. *morte* Guarn. *amore* cett. codd. *prodere* Voss. III, IV.

v. 9. *Aut ego* codd. edd. pr. Volsci prior Beroald. Lachm. *An ego* ed. Volsci II, Mureti, Aldd. Gryph. etc. *Anne ego* vulg. *transierim* Gr.

v. 11. *Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos Tibia* Exc. Scal. et Modii, M. Borr. Neap. Voss. 4, Regg. Colb. O. 2, B. 2, Lachm. *caneret tibi Cynthia cantus* edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Mur. aliae. *mihi Cynthia* Reg. *tibia* repetita p. *Cynthia* Neap. Colb. II, Vatic. V, Leid. I, Voss. 4, O. 2, Dresd. alii ed. Burm. *Cynthia* superscr. *tibia* Vallier. *Cinthia* Leid. II. *caneret tibi Lydia somnos Tibia* Hufsk. ep. cr. p. 46.

v. 13. novam elegiam plurimi libri incipiunt. Asterisci signum Lachm. *Parthis p. patriis* conj. Ruhnk. rec. Lachm.

v. 15. *Quodsi vera meae* codd. edd. vett. *Et si vera* Leid. II, Ask. Regg. Colb. *Quid si* Colb. II. *comitarent* plerique l. l. *comitarem*, *comitaret*, *comitarer* alii. *Quod si Romanae comitarent* conj. Scalig. vulg. *Quod mea si tenerae* conj. Heins. *Quodsi cura meae comitari* Lachm. in annot.

v. 20. *e patrio* Voss. IV. *patriae* Voss. I, B. II. *Partho sanguine* conj. Burm.

ELEGIA VIII.

AD AMICUM.

Eripitur nobis jam pridem cara puella:
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?
Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris, acerbae,
Ipsum me jugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis; haec in amore rota est.
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni.
Et Thebae steterunt, altaque Troja fuit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen nunquam ferrea dixit: Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum?
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere. interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manis, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus?

ELEG. VIII.

v. 10. *steterant* codd. edd. vett. *steterunt* emend. Scalig. vulg.

v. 11. *vae* p. *vel* Lachm. e conj.

v. 13. hoc et seq. distichon asterisci sign. Lachm. inclusit. *Ergo ego tam* Heins. et Francius pr. Lachm.

v. 17. Novam elegiam Lachm. incipit.

v. 21. *Quid non?* Borr. B. I, Dresd. *Antigone* Borr. B. I, Neap. II, Ask. Colbb. *Antigones* Voss. III, edd. usque ad Broukh. Lachm. *Antigonae* sex libri Broukh. Vatic. V, Gr. vulg.

Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
  Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies, mecum moriaris oportet:
  Hoc eodem ferro stillet uterque cruor,
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura.
  Mors inhonesta quidem: tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
  Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,
  Fervere et Hectorea Dorica castra face;
Viderat informem multa Patroclen arena
  Porrectum, et sparsas caede jacere comas:
Omnia formosam propter Briseida passus.
  Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
  Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre, vel armis,
  Mirum si de me jure triumphat Amor?

---

v. 23. *tam miserae* Voss. IV, Gr. *commiscuit* Colb.

v. 25. *efficies* Regg. Colbb. Leid. II, Voss. 3, O. I, B. 2, Bon. Guarn. Dresd. edd. vett.

v. 30. *in tectis* codd. edd. vett. Lachm. *in Teucros* Comelin. v. c. Passer. et in marg. O. II, ed. Burm.

v. 31. *fugas,* codex Palmerii Fruterii Passerat. O. I, Neap. Vatic. V, et p. v. lect. Voss III. *Phrygas* Borrich. B. I, Exc. Voss. III, a m pr. *fuga* Leidd. Voss. IV, edd. vett. *tractos* Leidd. B. 2, O. 2, Voss. 3. *tractosque* Voss. III. *fugas, fracos* vulg. *fuga fractos* Fruter. et Hufsk. ad Tib. p. 439. *Viderat ille Phrygas stratis in litore Archivis* vel *fuga sparsos* vel *Viderat Iliaco fractos* Heins. *Viderat ille Phrygas, fractis, in litore, Achivis* Hemsterh. *pyras, fractos* Lachm. in annot.

v. 39. *marte* Leid. Voss. 3, O. 2, B. I, edd. vett. *in arte* Leid. II, B. II.

v. 40. *Tulle* p. *jure* Fonteinius et Wyttenb.

ELEGIA IX.

AD AMICAM DE RIVALI.

Isté quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora
Hoc ipso ejecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere tam multis femina digna procis;
Conjugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo;
Visura et quamvis nunquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus;
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillen
Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit moerens captiva cruentum,
Appositum flavis in Simoenta vadis,
Foedavitque comas, et tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis;
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare
Impia: non unum sola manere diem.

ELEG. IX.

v. 3. *sola* conj. Francius Markl. Valk. ap. Koppiers. p. 139 pr. Burm.

v. 8. *Illi* conj. Lachm. *casta* p. *facta* Waardenb. *sancta* Gruter. cf. Hufsk. ad Tib. p. 290.

v. 9. *Exanimem* omnes ante Broukh. et sic Lachm. *Exanimum* Broukh. Burm.

v. 12. *fluviis vadis* Codd. *flavis* O. II. em. Heins. vulg.

v. 13. *Siccavitque* Colot. Vatic. I, Passerat. lib. *Achillis* omnes fere codd. et edd. vett. *Achillei* Gr. Burm. *Achilli* Bon. Dresd. Vatic. II, Posth. Livin. Neap. Lachm.

v. 16. *toro* em. Scalig. ex v. c. et sic Colbb. vulg. *viro* cett. codd. et edd. vett.

v. 17. *castis* codd. praeter Gr. et Colbb. qui *veris*. *viris* Neap.

Quin etiam multo duxisti pocula risu,
 Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
 Dii faciant, isto capta fruare viro!
Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
 Cum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae
Et lectum flentes circumstaremus amici:
 Hic ubi tum, pro dî, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
 Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est verba et componere fraudes.
 Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
 Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
 Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
 Tela, precor, pueri, promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam.
 Sanguis erit vobis maxima palma meus.

Sidera sunt testes, et matutina pruina,
 Et furtim misero janua aperta mihi;

---

v. 21. *duxistis* Perrej. Neap. Lachm. *duxisti* vulg.

v. 25. ante h. v. asterisci sign. Lachm. *Nec mihi* Regg. Leid. II, O. II, B. I, Dresd. Posth. ap. Livin. edd. pr. *At mihi* Guyet. et Heins. *En mihi* Burm. *Quae mihi — salutem!* V. D. ap. Lachm. *Et mihi — salutem!* Lachm.

v. 26. *poterentur* Perrej. Neap. ed. princ. vulg. *peterentur* cett. codd. et edd. pr. *poterentur* Colb.

v. 28. *Haec tibi tum* v. c. Perreji, Colot. Vatic. II. *Sic ubi* Borr. *Hic mihi ubi* Voss. I. *Hic ubi proh Dii* B. I. *fui* p. *fuit* conj. Burm. *Tunc ubi tunc pro Dî perfidus iste fuit* Markl.

v. 33. *incertae* Pal. I. pr. Burm.

v. 40. seqq. vv. Lachm. asterisco et linea separavit.

Te nihil in vita nobis acceptius unquam.
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi,
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani, media non sine matre, duces;
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

ELEGIA X.

AD MUSAM.

* *

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aonio jam dare tempus equo.
Jam libet et fortis memorare ad praelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quodsi deficiant vires, audacia certe
Laus erit; in magnis et voluisse, sat est.
Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.

---

v. 43. *magis est acceptius* Heins. margo B. II, O. II. a m. pr. et Voss. III. superscr. *nihil.*

v. 46. *tuum* codd. edd. vett. Lachm. *tuo* em. Heins. vulg.

v. 49—52. asteriscis notavit Lachm.

ELEG. X.

Ab hac elegia Lachm. l. III. incipit. Initium excidisse id. annotat.

v. 1. *Sed* codd. ed. princ. Lachm. vulg. sed Scaligerian. recensione praemittuntur quattuor versiculi. *Est tempus* B. II, et in marg. *sed. Jam t.* edd. Aldd. Colin. Gryph. Rovill. aliae. *Sit* conj. Heins.

v. 2. *Aonio* conj. Heins. pr. Lachm. *Haemonio* vulg.

v. 3. Nova hinc elegia in edd. antiq.

v. 4. *Dei* em. Markl.

Nunc volo subducto gravior procedere vultu;
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili. Jam carmina sumite vires.
  Pierides, magni nunc erat oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet;
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
  Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiat illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar vates: tua castra canendo
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem!
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontis,
  Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

* * *

---

v. 9. *succedere* M, Borr. Regg. Colb. II, Dresd. Palat. edd. pr. aliaeque.

v. 11. *anima* codd. *carmine* plerique.

v. 12. *erat* Gr. *erit* cett. codd. vulg.

v. 18. *sentiat* Dresd. M, Borr. Gr. Ask. O. 2, B. 2, edd. pr. Lachm. *sentiet* ed. Vicent. 1481 vulg. *victa* edd. Aldd. Gryph. Rovill. aliae.

v. 21. *Et c.* Borr. B. I. *cui non est t. s. Ponitur huic* J. Dousa.

v. 22. *His* Scalig. Heins. Broukh. *hac* Regg. Leidd. II, O, Neap. *haec* Vatic. I, Voss. I. *hic* cett. codd. vulg. pr. Mitscherl. Lectt. p. 117.

v. 23. *non inopes* Colb. Heins. O. I. *laudes* Voss. III. *culmen* Memmian. pr. Heins. Mitscherl. l. l. alii. *lautis ostendere cultum* Eldikius. *tauris conscindere collum* Oudendorp. pr. Burm. *lauto contendere cultu* Clerquius ad. Lucan. I. v. 24.

Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit;
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies,
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet: CINIS HIC, DOCTA PUELLA FUIT.

ELEGIA XI.

DE AMORE.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantis,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit et humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago,
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.

---

v. 27 — 31. asteriscis incl. Lachm.

v. 31. *haec* Dresd. Neap. a m. sec. pr. Lachm.

ELEG. XI.

v. 1. *primus qui* Regg. Colb. II, Gr. Liv. cod. Leid. II, edd. pr.

v. 3. *Is primum* Colb. II, O. 2, B. II, Guarn. edd. Aldd. II, Muret. etc.

v. 10. *sonat* Vat. V, Voss. III, Ald. II. Rovill.

v. 15. *Evolat e nostro* codd. edd. pr. *heu* em. Muret. vulg.

Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est alio, trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno.
  Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei;
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
  Haec mea Musa levis, gloria magna tua est,
Quae caput, et digitos, et lumina nigra puellae,
  Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

ELEGIA XII.

AD CYNTHIAM.

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam gracilis vetuit contemnere Musas,
  Jussit et Ascraeum sic habitare nemus,
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
  Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu,
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
  Nec si qua illustris femina jactat avos,

---

v. 17. *jucundum est* Borr. Voss. I, III, O. 2, B. II, Neap. Guarn. Posth. Comel. *jucundum et* Pal. I.

v. 23. *Qui* codd. edd. pr. Lachm. praecedente v. in parenthesi posito. *Cui* conj. Heins. *Quae* vulg.

v. 24. *canat* Perrej. B. 2, M, Borr. Voss. I, Guarn. Lachm. *canit* cett. codd. vulg.

ELEG. XII.

v. 1. *Susa* em. Beroald. 1487 e cod. Pici Mirandul. et sic Volsc. 1488. Codd. *Etrusca Itura tura* cet. codd.

v. 6. *Et possim* conj. Burm.

v. 10. *jactet* M, Voss. III, B. I.

Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula; nam domina judice tutus ero;
Quae si forte bonas ad pacem verterit auris,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe, quae serves, funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei;
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro;
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
Plebeji parvae funeris exsequiae.
Sat mea sat magna est, si tres sint, pompa, libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

---

v. 11. *juvet* Gr. Regg. Leid. II, Voss. I, IV, Palat. B. II, edd. pr. et vett. Lachm. *juvat* vulg.

v. 15. *Quodsi* Regg. Colb. II, Gr. Borr. Vatic. margo B. II, edd. vett. *verteris* Gr.

v. 17. Ab h. v. nova elegia ap. Lachm. *mors* codd. edd. vett. Lachm. pr. Hemsterh. *nox* conj. Heins. vulg.

v. 19. *tum* Lachm. *Ne* vult. Burm.

v. 21. *feretro* p. *fulcro* Voss. III, Exc.

v. 22. *visa toro* M, Colb. B. I.

v. 23. *Nec sit* conj. Burm. vel *at sint* cum Heins. leg. rec. Lachm. hoc.

v. 25. *Sat mea sit magna* Regg. Colbb. Exc. Borr. Neap. Gr. Leidd. O. 2, B. 2, Ask. Voss. 3, Bahrdtii et Vulpii l. l. edd. pr.

v. 27. *sequeris* Borr. Gr. Regg. M, Neap. edd. pr. aliae. Lachm. *Sequaris* cod. Livin. O. 2, Voss. IV, B. I, Palat. et Comel. Gebh. *Sequare* vulg.

v. 29. *pones* iid. codd. qui *sequeris* rec. Lachm. pr. utrumque Futurum Burm.

Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
  Accipiat Manis parvula testa meos,
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
  Quae tegat exstincti funeris umbra locum:
Et duo sint versus: *Qui nunc jacet horrida pulvis,*
  Unius hic quondam servus Amoris erat.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
  Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
  Hoc iter. ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos adspernata sepultos;
  Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Jussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longaevae minuisset fata senectae

---

v. 37. *Non minus* Gr. B. 2, Voss. III, O. I, Guarn. *hoc tristi* Gr. *hoc* Vat. Posth. *Non minus hinc nostri* conj. Burm. *notescat* O. II, B. I.

v. 39 et 40. *memento Hoc iter. ad lapides cana veni memores* codd. edd. pr. *Hoc iter — venire meos* em. Scalig. vulg. *ad sacra* in marg. Voss. IV. *Molliter ad lapides, cara, redire meos* vel *venire* Burm. *Memento Hoc iter. ac lapides, cara, subire meos* vel *memento Huc ferri ac lapides* cet. Heins. *cauta* p. *cana* cod. Livin. *Comiter ad lapides* Ayrm. *Tu quoque si quando venies ad fata (memento) Hoc iter ad lapides cana veni memores* Lachm.

v. 44. *Jussisset saevis de* conj. Heins.

v. 47. *Qui* vel *Quis si tam longae minuisset* M. Exc. Modii et Scalig. Regg. Vat. II. Colot. Colbb. Ask. Gr. Borr. in marg. Leid. II, Voss. III, O. 2. edd. pr. *Quis tam longaevae minuisset* Gr. teste Livin. Neap. Palatt. *Cui tam* Vat. V. a m. sec. *jurasset* Colb. a m. pr. et in marg. B. II. *monuisset* p. v. lect. in Exc. *meminisset* Guarn. Borr. a m. pr. *Qui si* Voss. IV. *Quis tam longaevae meminisset* vulg. ed.

Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut: O mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico;
Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manis:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

1475, Reg. Vicentt. *Si tam longaevae minuisset* edd. Aldd. Junt. Gryph. Rovill. Beroald. 1487, Volsc. 1488. *meminisset* Joh. Calphurnius. *Cui si longaevae minuisset* Heins. *Qui si tam longae min.* — *Saucius* Markl. *Cui si tam longae min.* Santen. rec. Lachm. pr. Naekius Choeril. p. 184 sq. *Qui si tam longae min.* Burm. pr. tamen Santen. conj.

v. 48. *Chloricus* Voss. IV. in marg. *Gallus in* Borr. B. I. *Doricus* vel *Dardanus* conj. Burm. *Troïus* vel *Graïcus* Heins. *Bellicus* Behotius. *Troïcus* Santen. *Iltus* ed. Lachm. *Coerulus* Naekius l. l.

v. 49. *humari* codd. pene omnes. Lachm. *humati* edd.

v. 53. *Testis cum niveum* — *dirus aper* — *planxisse paludibus* conj. Burm. *Testis cui niveum* Hufchk. ep. cr. p. 61. rec. Lachm. *Testis qui* vulg.

v. 55. *flevisse* Vallier. Vatic. V, edd. Brix. Aldd. Colin. cet. Beroald. *lavisse* Exc. p. v. lect. Passerat. lib. edd. duae princ. Lips. *Illic formosum flevisse, paludibus illis* Hufchk. l. c. *Illis formosum flevisse in vallibus* vel *collibus* Heins. *Illis formosum planxisse in collibus, illuc* — *tunc Venus* Burm. *Illic formosis jacuisse* Lachm. e conj. *Illic* Comel. Palatt.

v. 57. *ossa minuta* corrupta lectio Ruhnk. visa est.

ELEGIA XIII.

LAETATUR POTITUS AMICA.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
  Cum caderent magnae Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
  Cum tetigit carae litora Dulichiae:
Nec sic Electra, salvum cum adspexit Oresten,
  Cujus falsa tenens fleverat ossa soror:
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
  Daedaleum lino cum duce rexit iter:
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
  Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
  Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus opponere quaerit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
  Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis.
  Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis. contemnite, amantes:
  Sic hodie veniet, si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant:
  Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis.
  Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.

ELEG. XIII.

v. 1. *est* om. Regg. Colbb. Lachm.

v. 3. *Non* Burm. typothetae ut videtur, culpa.

v. 12. corruptum censet Ruhnk.

v. 19. *contendite* v. c. Scalig. et Passer. vulg. *contemnite* cett. codd. edd. vett. Lachm.

Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius aedem
Exuvias, tota nocte receptus amans.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis.
Quodsi forte aliqua nobis mutabere culpa
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum!

ELEGIA XIV.

NARRAT VOLUPTATES SUAS.

O me felicem, o nox mihi candida et o tu
Lectule, deliciis facte beate meis!
Quam multa adposita narramus verba lucerna!
Quantaque sublato lumine rixa fuit!

---

v. 25. *tuae columnae* Comel. Borr. Gr. Heins. pr. Burm. *tua columna* vulg.

v. 26. *munere* Cujacian. vulg. *nomine* cett. codd. edd. vett. pr. Burm. rec. Lachm.

v. 27. *tuas aedes* Mss. et edd. vett. em. Scalig.

v. 29 et 30. *veniet tua litora* vel *me* vel *litore* et initio v. *a te* Mss. *In mediis* vel omisso *in*, *mediis* cod. Heins. *manus p. navis* D'Orvill. lib. *veniet* Bon. Neap. edd. Brix. Ven. cett. *litor*. Gr. Neap. Pal. papyrac. *Sistat* Voss. IV, Livin. lib. *in medio stet* Dresd. *Sudat* Colb. M. *In te stat, mea lux, teneat sua litora navis Servata an mediis* Heins. *Nunc in te, mea lux, veniat sua litòra navis Servata* vel *Nunc ad te, mea lux, veniat, sua litora, navis* D'Orvillius. *Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis Servata, an mediis sidet onusta vadis?* Markl. *Nunc a te veniat, mea lux, ad litora navis.* Santenius. *Nunc da te, mea lux. Venit mea litore navis Servata: an mediis sidat onusta vadis?* Lachm. ed

v. 31. *Quae si* Vat. II, Gr. Dresd. Regg. Colb. Palat. papyrac. Comel. edd. pr., *Quodsi* cett. codd. vulg.

ELEG. XIV.

v. 3. Hoc distichon Broukh. et Burm. e Dousae p. sententia ante v. 11. collocarunt.

Nam modo nudatis mecum est luctata papillis;
  Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
  Ore suo, et dixit: Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
  Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non juvat in caeco Venerem corrumpere motu.
  Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
  Cum Menelaëo surgeret e thalamo.
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
  Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quodsi pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus;
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
  Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
  Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
  Velles, ut nunquam solveret ulla dies.
Exemplo junctae tibi sint in amore columbae
  Masculus et totum femina conjugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris;
  Verus amor nullum novit habere modum.

---

v. 7. *lassos* Borr. Leid. I, Voss. 3, B. 2, O. edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. Rovill. cet. *laxos* Ask. *lapsos* cett. codd.

v. 11. *committere* e suo cod. Scalig. et Passerat. pr. Heins.

v. 17. *pretendes* Gr. *cubares* Regg. Borr. Neap. Gr. Leidd. Voss. I, IV, O. 2, B. 2, Bon. Dresd. edd. pr. *cubaris* Muretus. vulg.

v. 25 et 26. *Cythere* p. *catena* Guyet. *Vellent* conj. Burm. *solveret*, *Idalie* Lachm. in annot. *catenam* Hufchk. ad Tib. IV, 5, 15. *illa Dea* p. *ulla dies* Ruhnk.

v. 27. *sunt* Regg. Borr. Leidd. Voss. I, B. 2, quinque l. Broukh. edd. pr.

Terra prius falso partu deludet arantis,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit:
Quam possim nostros alio transferre calores,
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum talis concedere noctis
Illa velit, vitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero:
Non ferrum crudele, neque esset bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis,
Lassa foret crinis solvere Roma suos.
Me certe merito poterunt laudare minores;
Laeserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae.
Omnia si dederis oscula, pauca dabis;

---

v. 35. *dolores* codd. edd. vett. *calores* Beroald. vulg.

v. 41. *cuperent* plerique codd. Colb. Neap. Voss. 3, O. 2, B. II. (in marg. *vellent*) Palat. Comel. Guarn. alii Lachm. *cupient* Gr. *vellent* edd. pr. vulg. *deducere* Gr. O. II. Voss. IV.

v. 43. *esset neque* Regg. Colbb. Vat. II, Exc. Modii Leid. II, Ask. B. II, edd. pr. aliaeque pr. Burm. rec. Lachm. *neque esset* cett. codd. vulg.

v. 44. *verteret* codd. edd. vett. Lachm. *verreret* Colbb. ed. Scalig. vulg.

v. 46. *Passa* B. I.

v. 47. *Te* B. I. *Nec certe* Colb. Voss. I et III, p. v. lect. O. I, Guarn. B. II. *Me* Colot. Leid. I, Voss. III. *Haec* ed. Broukh.

v. 49. *Hunc* om. codd. edd. pr. *Hinc* edd. vett. *Hunc* Calphurnius 1481, Volsc. 1488, Beroald. vulg. *liceat* M. Exc. Gr. Ask. Voss. III, IV, O. II, Comel. *lucet* Perrej. Palat. Colb. II, Neap. Vatic. II, V. libri Passer. *licitum est* Bon. *licet* cett. codd. vulg.

Ac veluti folia arentis liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
  Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa;
  Nunc sine me tota janua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messis
  Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
  Dic, alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fascis, nec curat honores:
  Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus o, succurre dolori,
  Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
  Juppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
  Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.

---

v. 51. *Ac* Gr., Gebb. et Passerat. libri vulg. *At* cett. codd. edd. vett.

v. 53. *speramus* omnes pene libri edd. vett. *spiramus* Scalig. Lips. vulg.

ELEG. XV.

v. 11. *quaeris* Gr.

v. 15. *amicam* Leidd. Ask. margo B. II, edd. priscae.

v. 16. *indignam* Pal. Gebh. *indignum* Ms. Palmerii. *indignum!* Lachm.

Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
  Straminea posset dux habitare casa!
Nunquam venales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa viro:
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgo
  Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis
  Et subito felix nunc mea regna tenet.
Adspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
  Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
  An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot jam abiere dies, cum ne nec cura theatri,
  Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.
At pudeat certe, pudeat; nisi forte, quod ajunt,
  Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
  Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
  Jussit et extremo quaerere in orbe fugam.

---

v. 19. *ipsa* Borr. B. I.

v. 22. *uno viro* Borr. B. I, Colb.

v. 23. *cubares* Regg. Leidd. Borr. edd. pr.

v. 25. *peccarim* codd. edd. vett. *peccarem* Borr. *peccari* Comel. correxit Beroald.

v. 27. *exclusis lumbis* codd. edd. pr. *excussus* O. I. *lombis* Voss. III, Leid. *nombis* O. II, a m. sec. *exhaustis exsuctis exsuccis* Heins. *excussis* vulg.

v. 29. *Accipe* M. Colb. Palatt. Gebh. *Eriphyle* M. pr. Heins. rec. Lachm.

v. 32. *tuis* Gr. *abire* Comel. Guarn. *vitiis crescet* et *usque tuis* conj. Heins. *Ah dolor — tuis*. Lachm.

v. 34. *mensa* p. *Musa* plerique codd.

v. 35. *At* M. Neap. Leid. Voss. III, O. 2, B. I, Palatt. Lachm. *Ah* vulg.

Caesaris haec virtus, et gloria Caesaris haec est:
  Illa qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascunque tibi vestis, quoscunque smaragdos,
  Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
  Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantis
  Juppiter, et surda negligit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere coelo
  Fulminaque aetherea desiluisse domo?
Non haec Plejades faciunt, neque aquosus Orion,
  Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
  Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
  Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.

ELEGIA XVI.

DE EXCLUSIONE.

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
  Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
  Explevi noctis, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
  Ut liquor arenti fallat ab ore sitim:

---

v. 42. *vincit, condit et* p. *condidit* conj. Burm.

v. 43. *zmaragdos* vulg. *smaragdos* codd. Lachm. v. Huschk. ad Tib. p. 80.

v. 46. *Quae — quae tibi fiet* codd. edd. vett. *qua — qua fiat* em. Scalig. vulg. *Quae — Quae fiat* D'Orvill. ad Charit. p. 684. Lachm.

v. 49. *Vidistis moto procurrere — dissiluisse* vulg. *Vidistin'* edd. ante Burm. *Vidistis toto percurrere — desiluisse* codd. edd. pr. Hemsterh. Lachm. *disiluisse* Ask.

v. 51. *nec* Dresd. Lachm.

Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
  Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod vivat, amante,
  Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem, invidia admirante, ferebant,
  Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, saxo,
  Sumere et in nostras tetra venena manus;
Nunc licet in triviis sicca requiescere luna,
  Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
  Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

ELEGIA XVII.

AD CYNTHIAM.

Assiduae multis odium peperere querelae.
  Frangitur in tacito femina saepe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato,
  Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid si jam canis aetas mea caneret annis
  Et faceret scissas languida ruga genas?

ELEG. XVI.

v. 13. *Nunc jacere e duro corpus juvat in freta saxo* Auratus pr. Burm. *Jubet impia saxo* Lachm.

v. 14 *tetra* Reg. et alii libri teste Gebh. vulg. *trita* plerique et optimi codd. edd. vett. Lachm. *tetia* vel *tertia vena* edd. pr.

v. 15. *Nec licet* plerique codd. Lachm. *Nunc libet* Guyet. pr. D'Orvill. Lachm. in annot. praeterea v. 15 et 16 ante v. 13 et 14 collocat.

ELEG. XVII.

v. 5. *caneat* Voss. III, Ask. *caneret* Borr. Colbb. Bon. Francii duo vulg. *calere* Palat. papyrac. Comel. *candeat* Regg. Leid. II, Voss. IV, M. Gr. edd. vett. Lachm. *canesceret* Neap. Dresd. pr. Burm.

v. 6. *faciant* Exc. Modii *faciat* Gr. Vat. Livin. edd. vett. Lachm. *faceret* cett. codd. vulg.

At non Tithoni spernens Aurora senectam
  Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis
  Quam prius abjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
  Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
  Invitum et terris praestitit officium;
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
  Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
  Et canae toties oscula ferre comae?
At tu etiam juvenem odisti me perfida, cum sis
  Ipsa anus haud longa curva futura die.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
  Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
  Ludis et externo tincta nitore caput?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
  Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
  Quae mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
  Mi formosa sat es, si modo saepe venis.
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
  Tinxerit, iccirco caerula forma bona est?

---

v. 8. *Eoa est — domo* mavult Hufchk. Anal. ad Tib. p. 688.

v. 9. *in undis* codd. edd. pr. em. Beroald.

v. 10. *adjunctos* codd. em. Scalig.

v. 15. cf. Hufchk. ad Tib. p. 328.

v. 18. *genae* Gr.

v. 25. *figura est* Dresd. Neap. Lachm.

v. 29. *per te* p. *certe* Lachm. cf. Act. Soc. Ultratr. III, p. 209 sqq.

v. 30. *satis* codd. edd. vett. em. Heins.

v. 31 et 32. Hoc distichon Lachm. post v. 26. posuit. *succo.*

Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
  Frater ego, et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
  Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famae,
  Et terram rumor transilit, et maria.

ELEGIA XVIII.

AD CYNTHIAM.

Etsi, me invito, discedis, Cynthia, Roma,
  Laetor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
  Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
  Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montis,
  Et pecus, et finis pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
  Fanaque peccatis plurima causa tuis.
Illic assidue tauros spectabis arantis,
  Et vitem docta ponere falce comas;
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
  Hoedus ubi agrestis corruet ante focos.

---

p. *fuco* B. 2, Voss. I, III, Leid. II.

v. 36. *Iste* Perrej. Colot. Borr. Exc. Vat. II, O. 2, M. B. I, Voss. III, Comel. Bon. Guarn.

v. 38. *terras* Guyet. pr. Burm. rec. Lachm. *terram* vulg. *transvolat* p. *transilit* Francius non impr. Burm.

ELEG. XVIII.

v. 2. *colis* vulg. *coles* Leidd. Voss. III. a m. pr. sic conj. Broukh. pr. Heins. et Burm. rec. Lachm.

v. 14. *Haedus ibi* Voss. I, III, B. II.

Protinus et nuda choreas imitabere sura,
  Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor, jam nunc me sacra Dianae
  Suscipere, et Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, et reddere pinu
  Cornua et audacis ipse monere canes.
Non tamen, ut vastos ausim tentare leones,
  Aut celer agrestis cominus ire sues.
Haec igitur mihi sit lepores audacia mollis
  Excipere, et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
  Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento
  Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
  Nec vaga muscosis flumina fusa jugis,
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
  Absenti nemo ne nocuisse velit.

---

v. 19. *pini* Bon. *pinni* Dresd. Vat. I, Voss. III, a m. sec. O. I. *pino* Comel. *primum* Borr. B. I. *pinum* Voss. IIII. *piūm* Voss. I. *pinū* B. II. *pinnu* edd. pr. *et nectere* vel *prendere pinnis* conj. Burm.

v. 20. *movere* codd. *monere* Gr. edd. pr.

v. 21. *temerare* Gr. rec. Broukh.

v. 24. *stricto* codd. edd. pr. pr. Hemsterh, rec. Lachm. *structo* Vat. I, Passerat. lib. em. Salmasius. vulg.

v. 32. *nemo non* Vat. V, Borr. Leid. II, Voss. I, III, O. 2, B. 2, edd. Aldd. aliaeque. *ne nocuisse* sex libri Broukh. unus Gebh. unus Livin. Regg. Colbb. Gr. *me nocuisse* M. cf. Huschk. ad Tib. IV, 1, 164.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
  Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
  Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
  Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
  Sollicito lacrimas defluit a Sipylo.
Me licet aeratis adstringant brachia nodis,
  Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
  Ferratam Danaes transiliamque domum.
De te quodcunque ad surdas mihi dicitur auris,
  Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris, et ossa parentis:
  (Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis,)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras;
  Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Posset servitium mite tenere tuum.

ELEG. XIX.

v. 3. *vesana* Cujacian.

v. 7. *Non* Voss. I. *superbae* Leidd. Exc. Borr. Voss. I, III, O. II, Guarn. Dresd. *superbe* Neap. O. I, B. 2, Voss. III, p. v. lect. a m. pr. *superba. Niobae superbae* edd. pr. *lacrimans* Dresd. Colb. Ask. B. II. *a Sipylo defluit* codd. edd. pr. *lacrimas* Vatic. I, II, Neap. Gr. Regg. *depluit e Sipylo* em. Heins. vulg. *Niobae bis sex ad busta superbae Sollicito lacrimae depluit e Sipylo* conj. Burm. maj. ad Virg. Aen. III, 348. *superne — defluit a Sipylo* Lachm.

v. 12. *Stasiliamque* Neap. Leid. I, Voss. O. B. I. *Stas iliamque* B. II. *Stat iliamque* O. II. *Strophiliamque domum* nonnullos legere tradit Volscus, *trasiliamque* M.

Septima jam plenae deducitur orbita Lunae,
Cum de me, et de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam janua mollis
Non nunquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis,
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti.
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes et me
Inferno damnes, Aeace, judicio.
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Ultima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

ELEGIA XX.

AD CYNTHIAM DE PANTHO.

At quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere, nihil pudet? adspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola jaces.

---

v. 29. *Tum* Perrej. B. I, Vat. II. edd. Brix. Ven. Lachm. *Tunc* vulg. *versetis* Leid. II, Voss. III.

v. 31. *mea pectora vagent* Voss. IV. *mea penna* Aldd. Gryph. Ven. 1475 Junt. Colin.

v. 35. Hoc distichon om. Gr.

ELEG. XX.

v. 1. *Ah* Leid. I, Voss. 3, O. 2, B. 2. edd. vett. Lachm. *An* Gr. *At* alii pr. Heins. vulg.

Et nunc inter eos tu sermo es; te ille superbus
  Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream si quidquam aliud quam gloria de te
  Quaeritur; has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Jason:
  Ejecta est: tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso:
  Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem praebere puellae,
  Discite desertae non temere esse bonae.
Nunc quoque, qui restet, jam pridem quaeritur alter;
  Experta in primo stulta cavere potes.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum
  Sive aegra pariter sive valente sumus.

---

v. 8. *Dicet* Voss. I, III, B. 2.

v. 12. *Electa* codd. plurimi. *Excepta* Ms. Passer. Vat. II. *Ejecta est tenuis namque Creusa domo* M. Regg. Colbb. Exc. Modii Leid. II, Borr. Neap. Vat. II, B. II. edd. pr. *Ejecta est: tenuit namque Creusa domum* Gr. Beroald. Aldd. Junt. Colin. Gryph. vulg. *Ejecta* Leid. I, Voss. 3, Ask. O. I, B. I. *Evecta est tenui* Leid. II, O. II, Palat. Gebh. *Evecta est tenuis n. c. domo* Exc. *Excepta Aesonia est namque Cr. domo* vel *Aesoniam tenuit n. Cr. domum* Heins. *Electa est tenui n. Cr. domo* ed. Broukh. *Electa est Ephyres n. Cr. domo* Santen. et Burm. *Ejecta tenuit n. Cr. domum* Burm. maj. *Aeolia venit namque Cr. domo* Markl. *Ejectae tenuit n. Cr. locum* Ruhnk.

v. 13. *delusa* Gr. Voss. I, B. II, O. *et delusa Calypso Vidit.* cet. Heins. pr. Burm. *Vidit ubi ardorem pandere* Mitscherl. Lectt. p. 164. *amatorem nam dare vela* Hufschk. ep. cr. p. 54. *Sic a Dulichio juvenem delusa C. Vidit* cet. Lachm. in annot.

v. 17. *Huic quoque — restat* codd. edd. vett. *Hinc* Gr. Pal. *Hic* et *nunc* in quibusdam Passerat. libris. *Nunc — restet* em. Broukh. vulg. *praestat* Exc. *Huic quoque qui restat?* Lachm.

v. 18. *tuta cavere p.* Borr. B. I. pr. Burm.

ELEGIA XXI.

AD DEMOPHOONTEM.

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,
  O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli diducit candida gestu,
  Brachia seu varios incinit ore modos.
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
  Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnis?
  Quod quaeris, curae non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?

ELEG. XXI.

v. 1. *heremi* vel *herenni* codd.

v. 2. *mi o D.* Comel. *mi hinc D.* Lachm.

v. 4. *Omnia in exitio* Perrej. Colot. Vat. II. *Omnia in exitium* Voss. IV, O. II, cod. Passer. vulg. *O nimis exitio — meo* vett. codd. edd. vett. Lachm.

v. 5. *deducit* codd. edd. pr. vulg. *diducit* conj. Passerat. pr. Burm. maj. et Sec. Markl. Bentl. rec. Lachm.

v. 6. *inicit* Leid. I, Voss. O. I, B. II. Bon. *injicit* Leid. II, Voss. Borr. Comel. *invenit* Pal. Gebh. *concinit* Perrej. O. II.

v. 7 et 8 post v. 9 et 10 transposuit Lennepius pr. Burm. totum distichon (9 et 10) abest a Gr.

v. 11. *negaret* Regg. Ask. Voss. IV. edd. pr. *negavit* Vat. I. *negarit* Ald. et Colin.

v. 14. *Quid quaeris* Voss. III, Ask. *quare non habet ullus amor?* vulg. Lachm. *curae* em. Huschk. ep. cr. p. 52. *non dabit ullus a.* Heins. *unus amor* Markl. *nos habet* vel *non cavat* Burm.

v. 15. *sibi br.* M. Colb.

Unicuique dedit vitium natura creato;
  Mi natura aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
  Nunquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed, tibi si exilis videor tenuatus in artus,
  Falleris; haud unquam est culta labore Venus.
Percontere licet; saepe est experta puella
  Officium tota nocte valere meum.
Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
  Et coelum noctu bis sine rege fuit;
Nec tamen iccirco languens ad fulmina venit.
  Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
  Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
  Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classis poterat, vel perdere muros.
  Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adspice uti coelo modo sol, modo luna ministret:
  Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
  Altera si quando non sinit esse locum,
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
  Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea:

---

v. 18. *natura* Comel. vulg. pr. Wyttenb. *Fortuna* cett. codd. edd. pr. Lachm.

v. 22. *fessa labore* Voss. III, Colot. Vat. I. *rupta labore* Ruhnk.

v. 27. *sidera* Lachm. sine annot.

v. 31. *Andromaches* Lachm.

v. 34. *Hector ego* Gr. O. II. pr. Burm.

v. 38. *Altera, si quando est non sinat esse locum* Regg. edd. priscae. *Si quando non sinat* vel *sinit esse locum* M. Gr. Exc. Borr. Neap. *non sinat* ed. princ. Brix. Ven. Aldd. *sinat* Leid. II, Voss. I, III. *Haec* post *quando* inserit Heins. pr. Burm.

Nam melius duo defendunt retinacula navem
  Tutius et geminos anxia mater alit.

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
  Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
  Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
  Cum recipi, quem non noverit illa, putat?
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat
  Quem, quae scire timet, dicere plura jubet.

*   *

---

v. 41. *Nam duo defendunt melius* Comel. Heins.

v. 43. Nova elegia ap. Lachm.

v. 44. *et nullo* (vel *in*) Regg. Colbb. Borr. Gr. Exc. Voss. I, Ask. Leidd. O. 2, B. 2. cett. *e nullo* Voss. III. *ponere* codd. edd. vett. *pondere — loco* Bonon. vulg. codd. Beroald. *in nullo ponere loco a* Lachm.

v. 48. *Cum — vetat* M. *Cui recipi quae — vetat* Regg. Colb. *ipse* superscr. *Cur recipi quae — vetat* Colb. II, Neap. Palat. membr. *Cui recipi quae* B. I, O. I, edd. pr. *Et recipi quae nam noverat illa vetat* Palat. papyr. *Cur recipi quam non n. ille vetat* Comel. *Et recipi quae num noverit ille vetat* Bon. *Cur r. quem n. n. ille p.* Gr., *negat p. vetat* alii. *Cum rec. quem — illa, putat* Puccii lib. Colot. Vat. I, II, Lachm. *Quo recipi — negat* Borr. in marg. *putat.* *Quom recipi quem n. noverit ille vetat* Dresd. *Quom recipi quae non* Guarn. *Cum rec. quem non noverit, illa vetat* Passerat. vulg. *Cum rec. quasi n. n. illa vetat* Markl. ed. Graevii pr. Burm. *Cum rec. quem n. n. illa, v.* Scalig. *Cum rec. ceu n. n., illa v.* Heins.

v. 49. *rursus* Gr. Borr. Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. 2, alii. pr. Markl. rec. Lachm. *rursum* vulg.

v. 50. *Quaerere* p. *dicere* codd. edd. vett. Lachm. *quem eum scire* Modii l. *dicere* Beroald. vulg. Abest h. v. a Neap.

ELEGIA XXII.

DE AMORIS SERVITUTE.

Cui fuit indocto fugienda haec semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit toties: Quaenam nunc porticus illam
Integit? et: Campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, ut scribat: Muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis avari,
Captus et immunda saepe latere casa.
Quam care semel in toto nox venditur anno!
Ah pereant, si quos janua clausa juvat.
Contra rejecto quae libera vadit amictu,
Custodum et nullo septa timore, placet;
Cui saepe immundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

ELEG. XXII.

v. 1. Lachm. ante h. v. aliquid excidisse annot. *Cui fuit indocti* plerique codd. *Qui fuit indocti* edd. vett. *fugienda* et *semita* vel *est semita* codd. edd. vett. *indocto* em. Scalig. *haec semita* Beroald. Volsci. *indocti fugienda et semita* Lachm. *Cui fuerat docto* conj. Burm.

v. 4. *vera* in annot. conj. Lachm. *commissa* Aldd. cett.

v. 9. *avari* B. I. vulg. *amari* codd. edd. vett. Lachm.

v. 10. *in nuda* B. II. *in munda* Guarn. Borr. edd. pr. *in immunda* O. II. *imundo — cavo* vel *spretus et in nudo s. jacere solo* vel *captus et inmundae sepe latere casae* Heins. *Et canis inmundae sepe jacere casae* vel *Et canis inmundis saepe latere casa* Burm.

v. 11. *vertitur* vulg. Lachm. *venditur* em. Hemsterh. pr. Schrader. Burm. Wyttenb.

v. 12. *si quas* Leid. II.

Differet haec nunquam, nec poscet garrula, quod te
  Adstrictus ploret saepe dedisse pater.
Nec dicet: Timeo, propera jam surgere, quaeso;
  Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, et quas mihi misit Orontes
  Ille capiant; nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
  Nullus liber erit, si quis amare volet.

* * *

Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro
  Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis adspergat tempora sudor?
  [Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.]
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis
  Non ego nequitiae dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
  Urerer et quamvis, nomine verba darent.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles.
  Parcius infamant. num tibi causa levis?
Et modo pavonis caudae flabella superbae,
  Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
  Quaeque nitent Sacra vilia dona Via.

---

v. 17. *grandia* p. *garrula* conj. Schrader. Em. p. 127. pr. Burm. *quod te* omnes fere codd. Lachm. *Quae te* edd. vulg.

v. 21. *Hae, quas* Lachm. e conj.

v. 28. *sudor* codd. edd. vett. et pleraeque Lachm. *surdo* em. Scalig. vulg.

v. 29. uncis incl. Lachm. ut spurium.

v. 35. *Haec modo* Lachm. e conj. *superbae* codd. edd. vett. Lachm. *superbi* Broukh. e conj. vulg.

v. 37. *iratam* Passerat. et Heins. *ingratum* Lachm.

Ah peream, si me ista movent dispendia: verum
  Fallaci dominae jam pudet esse jocum.

ELEGIA XXIII.

Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas?
  Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox vixdum est in amore peracta,
  Et dicor lecto jam gravis esse tuo?
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas?
  Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte;
  In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
  Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:
Tetra venena libens, et naufragus ebibat undas,
  Et nunquam pro te deneget esse miser.
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!
  Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem.
  Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
  Non labor Alcidae, non niger ille dies.

---

v. 39. *verum* em. Scalig. vulg. *si me* Guarn. Bon. Neap. Borr. M. Leid. II, Voss. I, III, O. II, B. 2. edd. pr. nonnullae Volsc. 1488. *Sed me* Regg. Colbb. edd. vett. aliaeque Lachm.

ELEG. XXIII.

v. 1. Novam eleg. omnes edd. praeter Vulpium incipiunt.

v. 3. *Vixdum* Perrej. Colot. Vat. I, II. *nondum* cett. codd. et edd. omnes.

v. 11. *inbibat* Lachm. e conj.

v. 14. *superbus* ed. Burm. et Lachm. typothetae vitio.

v. 15. *se* abest a Gr. Colb. Bon. et v. c. Fruterii.

v. 16. *Discidium* Neap. Palat. papyrac. Comel. ed. Ven. 1475.

Tu mea compones et dices: Ossa, Properti,
  Haec tua sunt: heu heu tu mihi certus eras.
Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
  Nobilis, et quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar; nunquam me injuria mutat;
  Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego, non paucos ista periisse figura:
  Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
  Phyllida Demophoon: hospes uterque malus.
Jam tibi Jasonia nota est Medea carina,
  Et modo servato sola relicta viro.
Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
  Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
  Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius, precor, ut me
  Demissis plangas pectora nuda comis.

Ald. I, Colin. Livinej. Lachm. *dissid.* vulg.

v. 19. *Tu me comp.* Porso Tracts and Miscellaneous p. 381 cf. Huschk. ad Tib. p. 445 et Schaef. ad Demosth. Annott. T. I. p. 537.

v. 21. *heu heu* codd. edd. pr. rec. Burm. antea legeb. *eheu.*

v. 23. *navita dives* codd. *non ita* Borr. corr. Pontanus et Beroald. *haud ita* em. Heins.

v. 29. *victa est* Borr. B. I. *vecta* vel *lecta* Heins. *est* om. M. *votum est* Lachm. *Jasoniae carinae* ed. Brix.

v. 34. *qui legat ossa die, Ni tibi nos erimus* mavult. Lachm. *in me* Lachm.

v. 36. *pectora* codd. edd. vett. Lachm. *pectore* ed. Scalig. vulg.

ELEGIA XXIV.

AD CYNTHIAM.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
 Excludi quoniam sors mea saepe venit.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
 Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
 Grandaevique negant ducere aratra boves.
Putris et in vacua requiescit navis arena,
 Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo diducet nulla senectus,
 Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno
 Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu?
 Caucasias etiam si pateremur avis?
Sed tamen obsistam: teritur robigine mucro
 Ferreus, et parvo saepe liquore silex.

ELEC. XXIV.

v. 2. *Excludit — veni* codd. edd. vett. *Excludi — mea, s. venis* vulg. *venit* em. Scalig. *Excludi quoniam fors mea saepe vehit* Lachm.

v. 9. *diducet* Comel. Leid. II, Voss. III, pr. Markl. Burm. rec. Lachm. *deducet* vulg.

v. 12. *saepe Perille* plerique vel omnes codd. edd. pr. em. Volscus.

v. 14. *Caucaseas* multi codd. *et jam* Lachm. fine annot.

v. 15. *Sed tamen et scabra teritur* conj. Heins. vulg. *obsitam* Reg. II, M, Borr. edd. vett. ap. Broukh. *obsita* Colb. II, O. I, Bon. Guarn. Gr. *ob situm* Dresd. *tegitur* Gr. Colb. B. I, Borr. *obscura* ed. Ald. II, 1515 Avantii, Voss. III, a m. pr. Leid. II. in marg. *obscura trahitur* Ald. 1515, Rovill. Gryph. Scalig. Paris. cet. *obsistam* Reg. Colb. Voss. I, IV, O. II, Ask. Neap. B. 2, Palatt. Comel. Vallier. ap. Huschk. ep. cr. p. 58. ed. princ. ed. Ven. 1507, Vicent. 1481, Beroald. Ald. I, Junt. Volsc. pr. Hemsterh. Santen. l. l. p. 1838, rec. Lachm. *Sed tamen obdura: teritur* conj. Burm.

At nullo dominae teritur sub limine amor, qui
Restat, et immerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur
Laesus, et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundo.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique,
Nescio quo pacto, verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento.
Invidiam quod habet, non solet esse diu.
Et si secla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.

---

v. 17. *de me* p. *dominae* Gr. Borr. Comel. Voss. I, Q. 2, B. 2, in marg. *dominae* ed. Ven. *sub lumine* Borr. Voss. I, III, B. 2. *sublemine amor, quid* Pal. papyr. *nullo de me teritur sublimine* Scalig. em. *dominae t. sub limine amator* vel *sub limine amor quin restat* Heins. *dominae t. sub crimine amor qui* Langermann. Dorvill. *dominae t. molimine amor qui* Davisius pr. Markl. Hemsterh. Jacobs. Lachm.

v. 23. *Aut* Mss. B. I.

v. 25. *An* Leid. II, Voss. III, IV, Borr. Gr. B. I.

v. 27. *secundi* codd. edd. vett. Lachm. *Secundo* em. Heins. et Bentleius ad Lucret. IV, 1134. vulg.

v. 33. *timeto* Lachm. e conj.

v. 35. *At si* Gr. Neap. Palat. papyr. Perrej. Colot. Colb. Leid. II, Voss. III, IV, B. II, Comel. Vatic. Dresd. pr. Schrader. Em. p. 130. rec. Lachm. *Et si* cett. codd. edd. pr. vulg. *gratis antiqua puellis* et *gnata puellis* in nonnullis Mss. esse Passerat. dicit. *gnota* vel *gnata* id. conj.

Non tamen ista meos mutabunt saecula mores.
Unusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu:
Haec atque illa mali vulneris una via est.
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala.

ELEGIA XXV.

AD CYNTHIAM DE INSOMNIO NAUFRAGII.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecunque in me fueras mentita, fateri
Nec jam humore gravis tollere posse comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

---

antiqua his grata puellis Dousa F. *Etsi secla forent annique ingrata puellae* Eldik. *antiquis aequa puellis* Burm. *nata* Wyttenb. l. l. *clara* Jacobsius. *nostra* Lachm. in annot.

v. 42. *dulcis* Reg. Colbb. Dresd. edd. pr. aliaeque et Broukh. *gratus* Reg. II.

v. 48. *Una sit est* Vatic. II, Perrej. *Una sat est* Colbt. et alii Passerat. ed. Scalig. *Una sat o cuivis* alii. *cujus* B. I. *Una dat et cuivis* conj. Burm.

ELEG. XXV.

v. 1. *Vidi ego te* Vat. V, Leid. II, Voss. III, B. I, Ald. 1515, Rovill. Burm.

v. 5. *agitavit* Regg. Voss. III, a m. sec. ed. Brix.

v. 6. *Aurea cum molli* conj. Heins. pr. Burm. Idem seq. distichon huic praeponendum censet.

Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
  Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
  Quaeque tibi excepi tum, dea Leucotheë!
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
  Saepe meum nomen jam peritura vocas.
Quodsi forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereïdes increpitarent,
  Candida Nesaeë, caerula Cymothoë.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
  Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
  Cum mihi discussit talia visa metus.

ELEGIA XXVI.

Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
  Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant et flumina Croesi,
  Dicat: De nostro surge, poeta, toro.

---

v. 10. *jam Dea* Regg. Colbb. Borr. Vatic. II, M, Gr. Ask. Leid. II, Voss. 3, O. 2, Pal. Bon. Guarn. Dresd. B. I, edd. pr.

v. 15. *ob invidiam* Perrej. Fruterii l. Exc. Scalig. et Modii Borr. Gr. Neap. Vat. II, V, Colb. Leid. II, Voss. III, IV, O. 2, B. I, Palatt. Comel. ed. Ven. *ob invidias* Vat. I. *Sed tibi invidiam et* Ask. *prae invidia* ed. Vicent. 1481, Volsc. 1488, Muret. vulg.

v. 17. *subsidio* codd. edd. vett. Lachm. pr. Burm. *subsidium* Borr. Comel. unus Broukh. vulg.

ELEG. XXVI.

Conjungitur in codd. et edd. vulg. cum praecedenti; dissecavit Lachm.

v. 3. *jam Gygae* p. *Cambysae* conj. Burm. et Schrader. Em. II, c. 6, p. 130 pr. Wyttenb.

Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest;
Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
Arbor et ex una saepe bibemus aqua,
Et tabula una duos poterit componere amantis,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, saevus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque et venti miserum vexastis Ulixen,
Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui movistis duo litora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat navem Juppiter ipse licet:
Certe isdem nudi pariter jactabimur oris;
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cum ferret in Argis
Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.

---

v. 8. *Multa negare potest* Markl. *non et amare potest* Santenius pr. Wyttenb. *stulte et amare potest* Burm.

v. 11. *tectum* em. Heins. Francius pr. Burm.

v. 16. *turbidus* Perrej. Passerat. l. Heins. cod.

v. 19. *ratis Argo* vel *satis Argus* codd. em. Volscus.

v. 21. *umquam* codd. edd. ante Broukh. Lachm. *usquam* Broukh. Burm. vulg.

v. 27. *in Argis* codd. Passer. Perrej. Colot. Vat. 1, II, rec. Burm. Lachm. *in armis* Palat. *in arvis* cett. codd. vulg. ante Burm. *dum ferret* Neap.

v. 28. *Lerne* codd. vulg. *Lernes* vel *Lernae* D'Orvill.

Jam deus amplexu votum persolvit; at illi
  Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Borean rapta Orithyia negavit.
  Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi: nobis mitescet Scylla, nec unquam
  Alternas revomet vasta Charybdis aquas;
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris;
  Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
  Exitus hic nobis non inhonestus erit.

ELEGIA XXVII.

QUOD INCERTA HORA MORTIS.

At vos incertam, mortales, funeris horam
  Quaeritis, et qua sit mors aditura via?
Quaeritis et coelo Phoenicum inventa sereno,
  Quae sit stella homini commoda, quaeque mala?

Lernes Lachm. *Lernae* Broukh. cod. I, B. II, Voss. IV, codd. plerique teste Oudend. ad Appul. Met. p. 97 pr. id. rec. Burm.

v. 29. *at illi* Lachm.

v. 30. *refudit* Regg. Colbb. Ask. edd. vett.

v. 31. *negavit* codd. edd. pr. Lachm. *negabit* Livinej. vulg.

v. 33. *mutescet* Voss. I, B. II, Ask. Harlej. *mihi* et *nobis* Pal. Gebb.

v. 34. *Alternante vomens vasta Charybdis aqua* codd. edd. vett. *vorax* superscr. Voss. IV, *Alternante voret* Vat. V. *Alternas revomet v. Ch. aquas* Vat. II, Passerat. l. vulg. *Alternas revomens* Colot. *Alternam revom. v. Ch. aquam* vel *Alternans revomet — aquam* Oudend. *Alterna revomens hausta Ch. aqua* Markl. *neque usquam Alternante vorans v. Ch. aqua* Lachm.

v. 37. *tuo sit pendere vita* conj. Burm. major.

ELEG. XXVII.

v. 1. *Et vos* Lachm.

Seu pedibus Parthos sequitur, seu classe Britannos,
  Et maris et terrae caeca pericla viae?
Rursus et objectum fletis capiti esse tumultum,
  Cum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam, domibusque ruinam,
  Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus, et a qua
  Morte; neque hic Boreae flabra, neque arma timet.
Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
  Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
  Concessum nulla lege redibit iter.

ELEGIA XXVIII.

AD JOVEM PRO AMICA AEGROTANTE.

Juppiter affectae tandem miserere puellae:
  Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
  Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina coeli,
  Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante, puellas.
  Quicquid jurarunt, ventus et unda rapit.

---

v. 5. *sequitur* Gr. Voss. pr. Schrader. Em. p. 131 rec. Lachm. *sequimur* vulg.

v. 7. *flemus* Regg. Colb. Leidd. Exc. Voss. 8, Ask. B. II, Palat. membr. Dresd. edd. pr. pr. Burm.

v. 9. *ruinas* Neap. Leid. II, Voss. I, B. II, O, Lachm. *flammas* et *ruinas* Gr. *dominisque ruinas* Lachm.

v. 10. *tuis* codd. edd. vett. Lachm. *suis* Broukh. e conj. Burm.

v. 13. *e Stygia* Vat. Livin. *ab arundine* M.

v. 15. *Si modo damnatus* Exc. Modii O. II. *damnatum* Gr.

Num sibi collatam doluit Venus? illa peraeque
  Prae se formosis invidiosa dea est.
An contempta tibi Junonis templa Pelasgae?
  Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
  Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexatae per multa pericula vitae,
  Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
  Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate vagata est:
  Hanc miser implorat navita Leucotheën.
Andromede monstris fuerat devota marinis:
  Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
  Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quodsi forte tibi properarint fata quietem,
  Illa sepulturae fata beata tuae:
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo,
  Credet et illa suo docta puella malo;

ELEG. XXVIII.

v. 8. *juratur* Colb. Exc. Borr. Leid. II, Voss. III, IV, O. 2, B. I, Comel. Bon. Guarn. *vitatur* Pal papyr. *ventus* et *aura* Leid. II, Voss. III.

v. 9. *Nunc* Voss. I, O. II. *praelatam* M. *ipsa peraeque* O. II. *pereque* Neap. *pareque* B. II. *peraegre* Exc. *ipsa paremque* Gr. Colb. Ask. Voss. III. in marg. *illa paremque* Pal. membr. *illa per aequor* Pal. Gebh. *Venus ipsa paremque?* Lachm.

v. 10. *Semper formosis* Markl. *Per se f.* Lachm.

v. 15. *mihi* B. I, Guarn. *vexata vita* Vat. I, II, Perrej.

v. 19. *terris* omnes fere codd. Volsc. 1482, Lachm. *terras* edd. pr. vulg. *vagavit* Leid. II, O. II.

v. 23. *erraverit* solus Burm. typothetae nimirum negligentia.

v. 26. *sepultura facta beata tua* Markl. *Ipsa, sepulturae sorte beata tuae*, Lachm. in annot.

v. 27. *sit* codd. edd. vett. *sis* Broukh. cod. II, Bon. vulg.

v. 28. *tuo — malo* conj. Burm. *et ipse suo* Santenius.

Et tibi Maeonias inter heroidas omnis
  Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcunque potes, fato gere saucia morem.
  Et deus, et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno:
  Frangitur et Juno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
  Et tacet exstincto laurus adusta foco,
Et jam Luna negat toties descendere coelo,
  Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
  Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso miserere duorum:
  Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
  Scribam ego: *Per magnum salva puella Jovem.*
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
  Narrabitque sedens longa pericla sua.
Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
  Persephones conjux saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:
  Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iole, vobiscum candida Tyro,
  Vobiscum Europe nec proba Pasiphaë.

---

v. 29. *interque* Regg. Borr. Neap. I, II. *inter et* M. *omnis Heroidas inter* Leid. II, Voss. I, III.

v. 36. *jacet* omnes fere codd. edd. vett. *tacet* ed. Canteri Antv. 1569. vulg.

v. 47. Nova elegia contra omnium codd. auctoritatem ap. Lachm.

v. 48. *Persephone* Leid. Voss. I, Ask. O. 2, edd. pr. *Persephonae* M, Borr. Dresd. plurimi et optimi Mss. teste Oudend. ad Appul. Met. p. 97.

v. 50. *scilicet* Leidd. Voss. III, Gr. O, B. 2, Palatt. Dresd. edd. vett.

v. 52. *Vobiscum Antiope* Perrej. Colot. vett. libri teste Vossio ad. Catull. p. 237 pr. Heins. recentiores edd. *est Iole* Gr. vulg.

Et quot Jóna tulit, vetus et quot Achaïa formas,
  Et Thebae, et Priami diruta regna senis,
Et quaecunque erat in numero Romana puella,
  Occidit; has omnis ignis avarus habet.
Nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna perennis.
  Longius, aut propius, mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
  Munera Dianae debita redde choros.
Redde etiam excubias divae nunc, ante juvencae;
  Votivas noctis et mihi solve decem.

ELEGIA XXIX.

AD CYNTHIAM.

Extrema, mea lux, cum potus nocte vagarer,
  Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri, mihi, turba minuta,
  Venerat: (hos vetuit me numerare timor.)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
  Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant; quorum lascivior unus,
  Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.

Iope, *Hyope*, *Iople*, *Io*, *Niobe* cett. codd.

v. 52 et 53 uncis incl. Lachm. *Troja tulit* Regg. Colbb. Gr. Borr. Leidd. Voss. 3, Ask. O. 2, B. 2, edd. vett. *Hioa* et in marg. *Hiona* Cujacian. et alii libri Passerat. *Jona* em. Scalig. vulg. et sic Graevius h. v. aff. Schol. ad Hor. Od. II, 6, 16. *Sparta* Heins. *Phoebi* p. *Thebae* codd. edd. vett. Lachm.

v. 59. *dimissa* Leid. II, Ask. pr. Markl. rec. Lachm. *dem.* vulg.

v. 60. *choro* ed. Volsci Aldi Junt. *tuae* O. II. *tholo* em. Heins. et sic Passerat. lib. pr. Burm.

v. 62. *redde* O. II, Cujac. rec. Broukh.

ELEG. XXIX.

v. 1. *Extrema* conj. Heins. rec. Lachm. *Hesterna* vulg.

Hic erat; hunc mulier nobis irata locavit.
  Dixit, et in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere; et alter:
  Intereat, qui nos non putat esse deos!
Haec te non meritum totas expectat in horas;
  At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.
Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
  Solverit, atque oculos moverit illa gravis,
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam, fratres; jam certos spondet amores,
  Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu:
  I nunc, et noctis disce manere domi.
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
  Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior unquam
  Visa, neque ostrina cum fuit in tunica,
Ibat ut hinc castae narratum somnia Vestae,
  Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent.

---

v. 9. *reliquit* Regg. Borr. unus Broukh. vett. edd. *locavit* cett. codd. ed. princ. vulg.

v. 10. *Dixerat. in collo* Voss. I, B. II. pr. Burm.

v. 14. *fores* codd. edd. vett. pr. Markl. Lachm. *foris* em. Dousa vulg.

v. 21. *ita me injecto duxerunt* codd. edd. vett. em. Heins. vulg.

v. 26. *fuit* codd. edd. vett. pr. Santenius rec. Lachm. *fluit* em. Fruterius vulg.

v. 27. *narrantur* Pal. *narrabat* Pal. membr. Dresd. M. *narrabant* nonnulli codd. et edd. priscae. Brix. vulg. confirmant Perrej. Vat. I, Gr. Leidd. Voss. 4, O. 2, B. 2. alii. *Insomnia* Leid. I. *Ibat et in casta narratum somnia veste* alii codd. *in casta veste* Volsc. Berolad. Aldd. *carae* vel *canae narrare insomnia matri* vel *canae Vestae* Heins. *Ibat et hinc* vulg. em. Lachm.

Talis visa mihi somno dimissa recenti.
  Heu quantum per se candida forma valet!
Quo tu matutinus, ait, speculator amicae?
  Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
  Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
  Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
  Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, et opposita propellens suavia dextra,
  Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

---

v. 29. *dimissa* Leid. II, Voss. IV, Guyet. Lachm. Markl. Schrader. *dem.* vulg.

v. 30. *O quantum* conj. Schrader. rec. Lachm.

v. 31. *Quid tu* Leid. Voss. I, III, B. II, edd. pr. vett. *Quod* ed. princ.

v. 35. *vestigia pressa* Dresd. edd. Ven. pr. Reg. Lep. Volsc. Brix.

v. 36. *non jacuisse* Regg. B. II, alii codd. edd. vett. *voluntatis* Neap. *volutantes* l. Farnesianus ap. Lipsium Antiq. II. c. 10. *Signa, volutantes non jacuisse duos* Burm. in annot.

v. 38. *motus* conj. Marcilius, Heins. Markl. qui etiam *admissi notus adulterii* conj. *natus* Broukh. et Burm. major.

v. 39. *savia* Lachm.

v. 41. *Hic* B. I. *custos rejector* Perrej. *custos recludor* pr. Broukh. Borr. Comel. Colot. Vat. I, III, V, Exc. Voss. 3, B. 2, Leid. II, ed. Vicent. 1487. *custode recludor* Gr. Leid. O. 2, Dresd. edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. *custodis* in marg. Voss. III, Regg. Colb. Palatt. Gebh. ed. Brix. Ven. 1475, Reg. Lep. *amoris rector* in ora Ask. Guyetus et Heins. hoc distichon spurium habuerunt. *custodis cultor* vel *custodi excludor* Heins. *tam sancti custos eludor amòris* Burm. *custodi excl.* etiam Markl. *cultu secludor amoris* Lachm. in annot.

ELEGIA XXX.

AD EANDEM.

Quo fugis, ah demens? nulla est fuga. tu licet usque
  Ad Tanain fugias, usque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aera dorso:
  Nec, tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae:
  Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput; instat amanti,
  Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nusquam
  Te patietur humo lumina capta semel.
Et jam si pecces, deus exorabilis ille est,
  Si modo praesentis viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri!
  Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures:
  Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non jure vado Maeandri jacta natasti,
  Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
  Et petere Hyrcani litora nota maris,

ELEG. XXX.

v. 3. *in aere* Neap. Palatt. quinque Broukh. edd. pr. Broukh. Lachm. *in aera* cett. codd.

v. 8. *ipsa* ed. Beroald. Lachm. *ipse* vulg.

v. 9. *nusquam* Gr. vulg. *numquam* cett. codd. edd. vett.

v. 11. *Sed jam si* conj. Burm. rec. Lachm.

v. 15. *onerantur* Neap. B. II, Lachm. *ornentur* Gr. Leid. II, Guarn. Voss. III. *onerentur* cett. codd. vulg.

v. 16. *senes* Regg. M, Voss. O. II, B. 2, Guarn. Dresd. edd. vett.

v. 19. *Nun* M. *At dure* v. c. Passerat. *At tu dura* Colot. Vat. I, V. *Non tamen immerito* Neap. Dresd. *Nunc jam* cett. codd. edd. pr. *Num jam* Scalig. vulg.

v. 20. *litora lata* conj. Heins. *nuda* Lachm. in annot.

Spargere et alterna communis caede Penatis,
  Et ferre ad patrios praemia dira Laris?

Una contentum pudeat me vivere amica?
  Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo objiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
  Rorida muscosis antra tenere jugis.
Illic adspicies scopulis haerere sorores,
  Et canere antiqui dulcia furta Jovis:
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
  Denique ut ad Trojae tecta volarit avis.
Quodsi nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
  Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu virginibus reverentia moveris ora:
  Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus,
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
  Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
  Et medius docta cuspide Bacchus erit,

---

v. 21. *Spargere et* Vat. Gr. Neap. Pal. I, Comel. Guarn. Bon. vulg. *Spargereque* cett. codd. edd. pr. pr. Burm. *sede* p. *caede* conj. Heins.

v. 22. *praemia magna* Borr. Heins. *digna* Gr. Voss. I, III, Guarn.

v. 23. Nova elegia ap. Lachm.

v. 25. *memo* Neap. *Mnemonidum atque utinam* vel *Dummodo Mnemonidum* Heins. *liceat modo C. tecum* M, Borr. Voss. B. I, Guarn. *liceat* Voss. III, Leid. pr. Markl. *Si nemora adliciant — subire* em. Burm.

v. 26. *Rorida* Lachm. codd. *Florida* Vat. V. *Horida* B. I. *Torrida* Exc. *Thespia* em. Heins. *Roscida* vulg. *subire* Pal. Gebh. Leid.

v. 27. *aspicias* ed. Scalig. vulg. *aspicies* codd. edd. vett. Lachm.

v. 30. *ad Trojam* em. Burm. maj. pr. B. Sec. cf. Valck. Callim. p. 76.

v. 33. *noveris* Borr. B. I. *Nec te virginei reverentia moverit oris* Perrej. Vat. I, II. pr. Lipsius, Heins. Burm.

v. 37. *te* Vat. V, Guyet. Lachm.

v. 38. *docta cuspide* codd. edd. vett. Lachm. *tecta* em. Scalig. vulg.

Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

ELEGIA XXXI.

AD CYNTHIAM.

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra;
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artifices, vivida signa, boves.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phoebo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvae, Libyci nobile dentis opus:

ELEG. XXXI.

v. 3. *in speciem* codd. edd. pr. Lachm. *in species* Scalig. ed. *in spatium* em. Heins. rec. Burm. cf. Gronov. Diatr. p. 595 et Handii annot. *Tanta erat* Regg. Colbb. M, Borr. B. 2, O. 2, Voss. 3, Vat. Bon. Guarn. Dresd. edd. pr. *Tota* O. II, a m. sec. et sic Colot. Vat. I, Gr. Cujac.

v. 5. *Hic eadem* B. II. *Hic quidam* em. Markl. pr. D'Orv. rec. Lachm. *Hic fidicen* Huschkius ad Tib. T. II, p. 469.

v. 6. *tacta* vult. Valck. ap. Koppiers.

v. 8. *artificis* libri em. Broukh. vulg.

v. 9. *claro* codd. edd. vett. Lachm. *Clario* Comel. em. Scalig. vulg. *Pario* Guyet. Passerat. Heins.

v. 11. *Ex quo* Palat. *Et quo* Regg. Colbb. Palat. Gebh. M, Borr. Gr. Voss. III, in marg. IV, O. I, B. 2, Dresd. Bon. Guarn. edd. vett. *In quo* Perrej. Vat. 3. *Et auro* Leid. II, Voss. I. a

Altera dejectos Parnasi vertioi Gallos,
  Altera moerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
  Pythius in longa carmina veste sonat.

ELEGIA XXXII.

AD EANDEM.

Qui vidit, is peccat: qui te non viderit, ergo
  Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Praenestis dubias, o Cynthia, sortis,
  Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur? 5
  Appia cur toties te via ducit anum?

---

quo Voss. II. *E quo* O. II. *Aurea solis* Cujac. *Auro Solis erat* ed. Beroald, vulg. *Ergo Solis erat* Lachm. e conj. *erant* Guarn. Cujac. Leid. II, Voss. 3, B. I.

ELEG. XXXII.

v. 1. *qui te non v.* codd. Lachm. *non te* edd. vett. et recentt. *non et vid.* vulg.

v. 2. *facti lumina crimen habet* Cujac. *habent* Neap. *facti lumina crimen habent* em. Heins. Markl. rec. Lachm. *facti crimina lumen habet* codd. edd. vulg.

v. 3. *Praenesti* codd. *Praenestis* vulg. *Praeneste in dubias* Lachm. e conj.

v. 5. *Cur vatem* H. Regg. Colbb. Borr. Vat. II, III, Leidd. Voss. I, III, Ask. O. 2, B. 2, Palat. Comel. Guarn. Dresd. Voss. IV, superscr. edd. pr. *Cur autem* Vat. V. *Curva tenus* Vat. I. *Cum vatem* Posth. *Curva te herculeum deportantes sedabitur* Neap. *Cur tua in Herculeum te portant* em. Heins. pr. Burm. *Curve te in H.* vulg. pr. Muret.

v. 6. *te tua dicit anum* Regg. Colbb. *dicit* edd. Ven. Vicent. 1487, Reg. Lep. *anus* M, Borr. Voss. B. I, Guarn. pr. Markl. rec. Lachm. *onus* conj. Heins. *te via Lanuvium?* V. D. Misc. Obs. II, 1. p. 106, pr. Burm. *te via ducit? Amas:* Relandus pr. D'Orvill. *te via Tarracinam* Eldikius.

Hoc utinam spatiere loco, quodcunque vacabis,
Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere taedis
In nemus et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus, aulaeis nobilis Attalicis,
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Marone cadunt,
Et, leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris; ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis: insidias in me componis inanis:
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae jactura pudicae
Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me laedit ad auris
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.

---

v. 7. *spatiare* Colb, Borr. Leid. II, Voss. III, B. 2, ed. Ven. *quodcumque vacabis* Vat. I, Neap. M, Gr. Cujac. septem Broukh. *vacabis* et *vacaris* alii libri.

v. 8. *nam tibi me* Gr. pr. Schrader. rec. Lachm. *sed tibi me* codd. vulg. *Sic tibi me* conj. Lachm.

v. 13. *urgentibus* codd. edd. pr. em. Joh. Calphurnius. *pariter platanis* Leidd. Voss. 3, Ask. O. 2, B. 2, Palat. I, Dresd. edd. pr. *platanis pariter* Pal. II, Bon.

v. 14. *suspenso quaeque Anione* em. Markl.

v. 15. *lymphis* Gr. plerique codd. Lachm. *Nymphis* alii vulg.

v. 16. *recludit* Vat. V. *retundit* Voss. III. *refundit* conj. Heins. pr. Burm. maj.

v. 17. *Fallor et ista* Lachm. e conj.

v. 23. *me venit ad aures* Voss. IV. *mi* superscr. a m. sec. *nostras pervenit ad aures* Gr. pr. Burm. Wakker. Schrader. *laesit* Colot. *laeserat* O. II. *nostra me laedet* B. II. *nostras illudit* Guyet. *pervadit* N. Heins. *nostras praecedit* Huschk. ep. cr. pr. 59.

Sed tu non debes inimicae credere linguae:
  Semper formosis fabula poena fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno;
  Testis eris puras, Phoebe, videre manus.
Sin autem longo nox una aut altera lusu
  Consumpta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto est viva reducta domum.
Ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,
  Num minus in coelo semper honesta fuit?
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
  Atque inter pecudes accubuisse deam:
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
  Silenique senes, et pater ipse chori,

---

v. 25. *tu* codd. edd. vett. Lachm. *te* vulg. em. Scalig.

v. 28. *erit* Regg. Leid. Voss. I, O. I, B. I, edd. vett. *vincere Phoebe manus* Perrej. Vat. I. *vivere! Phoebe* Colot. Vat. II. *Te scit enim puras Phoebus habere manus* Guyet.

v. 29. *lusu* B. 2, Gr. Borr. Leid. II, Voss. I, III, O. II, pr. Broukh.

v. 32. *domum est* Borr. Neap. Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. 2, ed. Scalig. cet. *sine decreto est viva* Regg. Ask. Gr. edd. pr. Beroald. Aldd. Junt. Colin. Gryph. *est* om. Borr. (?) Broukh. I, ejecit Broukh. Burm. Lachm. *Et sine dedecore est viva* em. Santen. pr. Burm. Wyttenb.

v. 33 — 40 Valckenar. Callimach. p. 71: „Singulis horum, inquit, quattuor distichorum vitium inest." *fertur corrupta* Neap. rec. Lachm. *correpta* Valck. l. c.

v. 34. *non minus* Vat. I, II, V, Perrej. *Nunc minus* Leid. II, Voss. I, III, O. I, B, 2. *Nec minus* edd. vett. Lachm. *Num minus* em. Francius. vulg.

v. 35. *boum pastorem* Valcken. l. l. *Quamvis te Ida Pari* Perrej. Colot. Vat. II. *Quamvis Dardanium* vel *Idaeum pastorem* Heins. *Qu. Ida novum p.* Burm. *Phrygen* Schrader.

v. 37. *spectarit* Markl. Valck. *spectabit* Regg. edd. pr. *Hoc etiam* Dresd. O. I, Ask. *dearum p. sororum* Borr. B. I.

v. 38. *tori* Regg. *Ask.* edd. pr.

Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro
  Supposita excipiens, Nai, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit:
  Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
  Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit.
  Quae sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres, durasque Sabinas,
  Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
  Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae.
  Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem.
  At post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
  Quae dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
  Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danaë circumdata muro,
  Non potuit magno casta negare Jovi.
Quodsi tu Grajas, seu sis imitata Latinas:
  Semper vive meo libera judicio.

---

v. 39. *Num minus Idaeo* Markl. pr. Burm.

v. 40. *Naica dona* codd. edd. rec. Lachm. *nauta dona* Pal. I. *Nai, caduca manu* em. Scalig. vulg. *diva, caduca manu* Burm. Valck. l. l.

v. 45. *illam jam impune* Leid. II, Voss. I, III, pr. Schrader. *Haec inpune ante illam impune et Lesbia f.* Exc. *Haec eademne ante* Lachm. in annot.

v. 47. *durosque Sabinos* codd. edd. vett. em. Dousa P. et N. Heins. vulg.

v. 58. *corripuit* Cujac. Perrej. Colot. Vatic. I, II, Voss. IV, Ask. Leid. II. in marg.

v. 61. *tuque es imitata* codd. edd. ante Beroald. *seu sis*

ELEGIA XXXIII.

AD CYNTHIAM.

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis:
  Cynthia jam noctis est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente
  Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quae dea tam cupidos toties divisit amantis,
  Quaecunque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
  Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te jussit habere puellam cornua Juno,
  Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis laesisti frondibus ora!
  Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
  Juppiter, icoirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
  Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
  Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt,
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe;
  Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.

---

imitata edd. pr. vett. vulg. *Quod seu tu* Gr. *seu sis imit.* conj. Heins. Livinej. pr. Burm. *Quod si tu Gr. aeques imitata Latina* Lachm. *mitata* Leid. II, Voss. 2. *mirata* ex Latini Latinii bibliotheca pr. Schrader. *sive es imit.* edd. Scalig. et Broukh.

ELEG. XXXIII.

v. 3. *pereat Nilo* Vat. V, Leid. II, Voss. III, IV, O. 2, B. 2, Gr. Borr. Colbb. Dresd. pr. Heins. *Nilo pereat* vulg. Lachm.

v. 6. *Quaecumque—facit—facit* Lachm. in annot.

v. 12. *Mansisti et st.* conj. Heins. *Mansisti ut stab.* Lachm.

At tu, quae nostro nimium implacata dolore es;
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis, et verba sinis mea ludere, cum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis; mediae nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicunque meracas reperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare, Cecropiis merito jugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi,
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas:
Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
Jam bibe; formosa es: nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter;
Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentis felicior aestus amantes:
Elevat assiduos copia longa viros.

---

v. 21. *dolore* codd. *dolori* ed. Scalig. vulg. *nimium implacata dolore es* em. Heins. pr. Burm. rec. Lachm, *placata* codd. vulg.

v. 22. *refaciamus iter* conj. Scalig. rec. Broukh.

v. 23. *sinis me* conj. Heins.

v. 37. *demissae sertae* Neap. Bon. ed. Dousar. Rapheleng. vulg. *demissa serta* cett. codd. edd. vett.

ELEGIA XXXIV.

AD LYNCEUM POETAM.

Cur quisquam faciem dominae jam credat Amori?
  Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis;
  Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
  Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
  Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti perfide, curam,
  Tangere? nonne tuae tunc cecidere manus?
Quid, si non constans illa et tam certa fuisset,
  Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
  A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
  Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno;
  Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
  Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
  Errabant multo quod tua verba mero.

ELEG. XXXIV.

v. 5. *conjunctos* p. *cognatos* B. I.

v. 9. *Perfide curam tangere?* Leid. II, Voss. 3, Gr. Neap. O. 2, Vat. Palat. Comel. Bon. Guarn. ed. pr. Lachm. *tangere curam? perfide* cett. vulg.

v. 10. *tum* Lachm.

v. 12. *Posses et tanto* M, Exc. Gr. B. 2. *Posset et* Voss. III, a m. pr. IV, Ask. Regg. Colbb. edd. priscae. *possisne* cod. Perreji alii.

v. 18. *possem* B. I, Pal. Gebh. *possim* Voss. III.

v. 20. *tremore tremo* Palatt.

Sed nunquam vitae fallet me ruga severae:
  Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores;
  Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Lucreti tibi prosunt carmina lecta?
  Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem Musis imitere Philetam,
  Et non inflati somnia Callimachi.

---

v. 25. *sacros* Leid. I, Colb. B. II, ed. princ. *meos serus* B. I. *meos seros* Gr. *sanos* aff. Spanh. ad Callim. H. in Cerer. v. 30. *Lynceus ipse meos i. serus a.* conj. Broukh. pr. Burm.

v. 29. *Erecthei* Leid. *Erethei* Exc. Modii. *Erehthei* M.? Leid. II, Voss. I, III. *Crethei* Voss. IV, Gr. O. I, B. II. *Eretei* O. II. *Aut quid ...... prosunt* B. I. *Erithei* Comel. *Crethei* Dresd. Vulpii ut videtur codd. edd. vett. pr. Oudend. *cretei* ed. Brix. *critei* Ven. *Erechthei, Tyrtaei, Smyrnaei, Cretaei — tecti* Heins. *Tyrtaei* v. c. Perreji, Colot. Vat. 2, Beroaldus qui postea *Critaei* praetulit. *Critei* Vat. *Cretheis* Borr. *Erecthei* codd. ap. Latin. Latinium. *prosunt tibi* Borr. Leid. II, Voss. 3, B. I. Lachm. *possunt* O. II. *Lucreti* emend. Scalig. Turneb. vulg. pr. Guyet. Heins. Hemsterh.

v. 30. *noster senex* Pal. Gebh. B. II.

v. 31. *meliorem Musis* Leid. I, O. II. *memorem Musis* vulg. lectio edd. priscar. *Musis memorem* Borr. Leidd. Voss. 3, B. 2, Bon. Guarn. *immittere* Dresd. *inmitte* Voss. III, *mirere* Leid. II, Voss. I. *Musis memere imitere Phileten* D'Orvillii cod. *Musis meliorem* ed. Scalig. vulg. *satius* in *potius* mutavit Schrader. Em. p. 141. *Tu satius memorem Muses imitere Philetem* Markl. *Tu satius mollem Musis imitere Philetam* Burm. *Tu s. Mimnermum aut Coum i. Ph.* Heins. pr. Burm. *Tu potius Mimnermum aut Coum i. Ph.* Valcken. Callim. p. 7. *Tu s. teneri lusus im. Philetae* Eldikius. *Tu s. Musam leviorem imitare Philetae* Santenius; Wyttenb. l. l.: „sagax, inquit, inventum nisi vitium in *satius* remanet". *Tu s. Mimnermi aut Musam i. Ph.* Koppiers. *Tu Battus memorem Musis imitere Philetan* Lachm. in annot.

Nam, cursus licet Aetoli referas Acheloi
  Fluxerit ut magno fractus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
  Errat, et ipsa suas decipit unda vias;
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
  Tristia ad Archemori funera victor equus:
Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae,
  Aut Capanei magno grata ruina Jovi.
Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
  Desine, et ad mollis membra resolve choros.
Incipe jam angusto versus includere torno,
  Inque tuos ignis, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
  Despicit et magnos recta puella deos.

---

v. 33. *Nam r.* Lachm. codd. *Jam* B. I. *Num* Exc. *Non rursus* em. Scalig. vulg. *cursus* Gr. Comel. rec. Lachm.

v. 34. *Fluxerit* codd. edd. vett. Lachm. *Luxerit* em. Broukh. vulg. *factus* codd. *fractus* Calphurn. 1487, ed. Volsc. I, Beroald. vulg.

v. 38. *Tristis* codd. em. Heins. vulg. Lachm. Id. Heins. h. distich. sequenti postponit legens: *Adrastum tulerit.*

v. 39. *Non Amphiareae* vel *Amphiariae* vel *Nil Amphiareae prosunt* codd. *Haud Amphiareae* Perrej. *Non Amphiareae prosint* Pal. Gebh. O. I. *N. Amphiaraae* Dresd. *prosint tibi* Leid. II, Voss. I, III, O. I, B. II. *prosunt tibi* Voss. IV, B. I. *tibi prosunt* O. II. *Amphiarerae nil prosunt* Neap. *possunt tibi* M, Voss. I, III O, B. II. *Amphiaraëae* em. Heins. vulg. *A. nil prosunt tibi fata quadrigae* cod. Muret. *tibi* omitt. vulg. *Non magna Amphiaraëae prosunt tibi fata* Lachm.

v. 40. *Aut Capanei grata ruina Jovi* Exc. B. 2, Borr. Gr. O. 2, edd. pr. *magno* cett. codd. *irato* conj. Heins. pr. Burm. *Quadrigae, aut Capanei grata r. J.* Lachm.

v. 41—50 transpos. Lachm. 43. 44. 41. 42. 47. 48. 49. 50. 45. 46.

v. 41. *et Aeschyleo* codd. edd. vett. rec. Burm. vulg. *Aechileo* Neap. *echileo* O. I. *et esculeo* Leid. II. *Achilleo* cod. Scalig. edd. Scalig. Broukh.

v. 42. *membra referre* O. II. et alii ap. Latin. Latin.

v. 45. *Tu non Antimachus, non tutior ibis Homerus* Lachm. e conj.

Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
  Cornua quam validis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores;
  Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
  Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas,
  Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
  Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
  Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
  Quem tetigit jactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
  Caesaris et fortis dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
  Jactaque Lavinis moenia litoribus,
Cedite Romani scriptores, cedite Graji;
  Nescio quid majus nascitur Iliade.

---

v. 47. *gravis taurus* codd. vulg. *gravi* cod. Guarn. em. Dousa Heins. alii rec. Vulpius Lachm. pr. Burm. *summittit aratro Cornua*, conj. Burm. et sic codd. teste Latin. Latin. *subjungit* conj. Ruhnk.

v. 49 et 50. *Trux t. a nobis arte d. eris.* conj. Burm. *Nec — durus p. t. potieris a. Trux ante a nobis arte d. eris* Wyttenb. l. l.

v. 51. Duo h. distichia p. v. 59 transp. Vulpius.

v. 53. *Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas* Perrej. Colot. Vat. 2, vulg. *restabit erumnas* M, Vat. V, O. I, Pal. I, Gebh. *restabit aerumnas* Dresd. *Nec si post St... aliquid restaverit undas* cet. codd. plerique edd. vett. p... D'Orv. Markl. Heins. *superaverit undas* Burm. *restabimus* Wassenbergius. *restans erit u...* Lachm. in annot. *Nec si post Stygiis aliquid restabit in undis* Huschk. ad. Tib. III, 3, 37.

v. 61. *Virgilio* Perrej. cod. Fruter. Exc. Leidd. Voss. 3, Borr. B. 2, O. Guarn. Dresd. edd. priscae.

v. 66. Post h. v. Lachm. inseruit distichon 83 et 84.

Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
  Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
  Missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
  Huic, licet ingratae, Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
  Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena
  Laudatur facilis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
  Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
  Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
  Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animis, nec se minor ore canorus
  Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
  Varro Leucadiae maxima flamma suae.

---

v. 69. *puellas* codd. edd. vett. *uellam* vulg. jam ed. Gebh.

v. 71. *mercatur* em. Schra-er. pr. Burm.

v. 72. *canam* Lachm. e conj.

v. 75. *suas avena* v. c. Pas-at. edd. priscae. *sua avena* d. Lachm. *suam avenam* . Scalig. vulg.

v. 83. *Nec memor* B. II. *his imis* om. B. I. *animans* Exc. v. l. *his animus* v. c. Fru-ii et Passerat. *aut si minor* Regg. Colbb. Ask. Leid. O. I, II, edd. vett. *aut si minus* Dresd. *aut sum minor* Comel. *aut sim* Vat. V, Borr. Gr. Leid. II, Voss. I, IV, B. I, Bon. Guarn. *nec sim* Voss. III, O. II. *Nec minor his animos aut his minor ora* Heins. pr. D'Orvill. *Nec minor his animi nec segnior ore* Heyn. ad Donat. V. Virg. §. 67 n. *Nec minor his animis nec se minor ore* em. Scalig. vulg. *aut, si minor ore, canorus* Lachm. cl. Addend.

v. 86. *maxima cura* Borr. Leid. II, Voss. 3, B. I, Guarn.

Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
  Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
  Cum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
  Mortuus inferna vulnera lavit aqua.
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
  Hos inter si me ponere fama volet.

---

v. 88. *quin ipsa* Borr. Leidd. Voss. 4. *quis* in marg. Voss. III, IV.

v. 91. *quam, multa* codd. Gr. edd. vett. Lachm. *quis multa* Vat. I. *qui multo* Colot. Vat. V, Passerat. ed. Scalig. vulg. *Et modo formosa qui inulta* D'Orv. *qui fleta* vel *mulsa* Heins. *Passus* p. *Gallus* Wakker. Am. litt. p. 94. *questus* p. G. Mitscherl. Lectt. Catull. p. 165. *qui flente Lycoride Gallus* Markl. pr. Burm.

SEXTI AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER III.

ELEGIA I.

Callimachi manes, et Coi sacra Philetae
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
  Quove pede ingressi quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicunque moratur in armis.
  Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.

ELEG. I.

v. 3. *scripta p. sacra* conj. Valck. Callim. p. 3.

v. 4. *Graja per Italos* idem l. l.

v. 5. *tenuistis* codd. *tenuastis* O. II, ed. Volsc. boni libri Beroald.

v. 6. *Quave bibistis aqua* Borr. Guarn. Voss. O. I, B. I, Comel.

v. 10. *Nota* Passerat. e v. l. Ask. Lachm.

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae,
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici foenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas:
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces
Fluminaque Haemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoenta Jovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troja, bis Oetaei numine capta dei.

---

v. 16. *canant* Gr. pr. Heins. Lachm. *canent* codd. vulg. pr. Huschk. ad Tib. I, 4, 36.

v. 17. *fonte* v. c. Perreji, Vat. I, II.

v. 19. *date vestro* Regg. Colbb. M. Neap. Borr. Voss. IV, O. I, B. II, Broukh. libri edd. pr.

v. 21. *detraxerat* Leidd. Voss. 3, Guarn. edd. Ald. II, Rovill. Gryph. etc.

v. 27. *Xanthumque et Simoenta* Guyet. ut spurium v. incl. Lachm.

v. 28. *per campos* codd. edd. vett. *ter* em. Fruterius et Livin.

v. 29. *Polydamantes in armis* codd. edd. vett. Aldd. *Polydamantas in armis* Leid. II, Voss. III, Neap. edd. priscae. *Polydamantem in a.* Ask. Palat. membr. Comelin. *Polydamantos in a.* Dresd. absunt haec v. a Palat. I. *Polydamanten* ed. Ven. 1500. *Polydamanta sub armis* Perrej. v. liber Passerat. pr. Markl. Heins. *Poludamanta sine armis* em. Scalig. vulg. *Polydamanta et in armis* G. Lachm.

Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
  Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem;
  Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orphea detinuisse feras et concita dicunt
  Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
  Ad tua rorantis carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
  Nec camera auratas inter eburna trabes;

---

v. 34. *sentit* Francii I, rec. Broukh. vulg. *Sensit* codd. edd. vett. ante Broukh. Lachm.

v. 36. *esse p. ipse* edd. vetustiores. *cinerem* M.

v. 37. *Non mea* Leid. II, B. I, Borr. alii ap. Latin. Latinium. *Nec* M, O. I. *Me* edd. pr.

v. 38. *Promissum est* Vat. V, Gr. Leid. II, Voss. I.

v. 39. Nova elegia: *Ad Librum Suum* in plerisque codd. et edd. vett. conjunxerunt Muret. et Scalig. vulg.

A v. 41. nova elegia in ed. Dousarum et Gryphii cum Vulpio.

v. 41. *Orphea detinuisse* Exc. Modii et Scalig. M, Vat. I, V, Neap. Leidd. Voss. 3, Borr. Ask. O. 2, B. I, Pal. Guarn. alii ap. Latin. Latinium. *Orphea te tenuisse* Regg. Colbb. B. II, edd. pr. *Orpheu te ten.* Beroald. *Orpheu te duxisse* em. Heins. vulg. *Orphea delinisse* Ayrm. Lachm.

v. 42. *sustinuisse* Regg. Colb. Gr. Dresd. Broukh. I. II. Leid. I, v. c. Fruterii, O. I, Neap. Exc. Ask. edd. pr. Lachm. *detinuisse* Broukh. I, Borr. Guarn. rec. Broukh. vulg.

v. 46. *duxit* Borr. Comel. B. I.

Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas;
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites et carmina cara legenti
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua est celebrata libello!
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti
Nec Jovis Elei coelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant:
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

ELEGIA II.

PROPERTII SOMNIUM.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regnum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis;

---

v. 53. *rara* Voss. IV. *grata* Gr. O. II, alii ap. Latin. Latinium pr. Lachm.

v. 54. *At* B. I.

v. 55. *si qua est* codd. edd. pr. Lachm. *es* vulg. *cantata* Voss. I, Borr. B. I, Vatic. Livin. *margo* B, II.

v. 60. *vacat* Leid. II, Voss. 3, O. II, Dresd. Guarn. edd. antiquae, ap. Octavium Mirandulam.

v. 61. *subducit* Bon. Neap. Leid. II, O. II.

v. 62. *Armorum* M, Colb. Vat. V, B. I. *actu* conj. Broukh. non impr. Ruhnk. *pondere* Leidd. Voss. I, IV; O. 2. *Annorum aut ictu pondere victa ruent* Burm. *Ventorum aut ictu* Heins. *Annorum aut ipso pondere* Santen. pr. Wyttenb.

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
  Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
  Cannensem, et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Laris Romana sede fugantis,
  Anseris et tutum voce fuisse Jovem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
  Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo.

ELEG. II.

v. 9. *Victorisque moras F.* Borr. Voss. III. *Victorisque moram* Exc. *Victorésque* Voss. I, B. I, Comel. Guarn. *Viatoresque mora* Palat. Gebh.

v. 11. *alacres* Guarn. Leid. II, B. 2, Borr. Voss. 3, O. II. *acres* O. I. *lacies* Neap.

v. 13. *spectans* Heins. Borr. Harlejan.

v. 15. *quisve* Colb. II, Regg. ed. Brix

v. 17. *Non hic* codd. edd. pr *hinc* Volsc. ed. II. vulg.

v. 21. *praescripto sevecta est p. roto* codd. edd. vett. Lachm. *proscripto* codd. Regg. Colbb. Leidd. Voss. 3, O. 2, edd. vett. *praescripto* cett. Lipsius em. Variar. Lectt. III, c. 12, rec. Scaliger. vulg. B. II, Ask. *perscripto* Neap.

v. 26. *solo est* omne fere edd. *est* omitt. codd. Burm. Lachm.

Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
   Pendebantque cavis tympana pumicibus:
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
   Fictilis, et calami, Pan Tegeaeë tui;
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
   Tingunt Gorgonea punica rostra lacu;
Diversaeque novem sortitae rura puellae
   Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
   Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum:
   (Ut reor a facie, Calliopea fuit.)
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
   Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
   Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
   Stent, et Teutonicas Roma refringat opes;

---

v. 29. *Plectraque Musarum* conj. Heins. vel *Cerea* vel *Orgia*. *Organa* Eldikius. *Illic M.* (sic Ferrarii l.) vel *Hic et M.* Francius. *Ergo hic* Lachm.

v. 31. *Ut V.* Gr. *Veneris volucres dominae* O. II, Voss. III, Posth.

v. 36. *at illa* Leid. II, Borr. Neap. Voss. I, IV, O. I, B. II, pr. Livinej. Francius Markl. Schrader. rec. Burm. Lachm. *et* cett. codd. edd. *utramque rosam* Voss. I, O. 2, Palmerii lib.

v. 37. *una dearum* codd. edd. vett. Lachm. *sororum* Heins. rec. Brouckh. vulg.

v. 40. *Non te* vitiose in ed. Burm.

v. 41. *Nec tibi sit* Fruter. Gronov. Obs. III, c. 3. *Ne* sive *Ni* Passerat. Guyet. Huschk. ep. cr. p. 61. *sint* Gr. *praeconia* v. c. Perrej. Scalig. M. Regg. Colbb. Borr. Neap. Vat. I, II, Ask. Leid. Voss. III, IV, O. II, Palatt. Bon. Guarn. Dresd. ed. Brix. Lachm. *praeconica* Leid. II, Voss. I, O. I, B. II. *clausa praeconia* alii ap. Latin. Latini. *praetoria* Beroald. e codice reverendae vetustatis vulg.

v. 42. *Flere* codd. edd. vett. em. Dousa vulg. *neque* Lachm. *tingere* Perrej. Scalig. Neap. Ask. Vat. I, Pal. membr. alii ap. Latin. Latinium pr. Passerat.

Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
  Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantis,
  Nocturnaeque canes ebria signa fugae
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
  Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope lymphisque a fonte petitis
  Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

ELEGIA III.

DESCRIPTIO TRIUMPHI.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
  Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos.
  Tigris et Euphrates sub tua jura fluent.
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis:
  Adsuescent Latio Partha tropaea Jovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano: Crassos cladesque piate;
  Ite et Romanae consulite historiae.

---

v. 45. *Suevo* Perrej. Vat. I, II, margo Voss. IV, sic Beroald. Volsc. Scalig. corr. vulg. *saevo* cett. codd. edd. vett.

v. 48. *Nocturnasque canes, ebria signa, faces* Markl. pr. Burm.

v. 49. *exornare* Vat. I, IV, Perrej. *exorare* Puccian. I. pr. Heins. Perrejus. *extaurare* Pal. II, Regg. Colbb. edd. pr.

v. 52. *Philetaea* exc. Lupacchini pr. Santen. rec. Lachm. *Philetea* vulg.

ELEG. III.

v. 3. *magna viri merces* codd. edd. vett. Lachm. *viae* em. Broukh. vulg.

v. 4. *sub tua* codd. edd. vett. *sua* em. Broukh. vulg. Lachm.

v. 5. *Sera sed A. veniet* codd. edd. vett. Lachm. *venient* Voss. *Seras et A. venient* Guilielmius. *Seres et A. venient* Heins. vulg.

v. 9. *Omnia* v. c. Perreji Co-

Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam, spoliis onerato Caesaris axe,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos;
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Mi sat erit Sacra plaudere posse Via.

ELEGIA IV.

AD AMICAM IRATAM.

Pacis Amor deus est; pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis,

---

lot. Vat. I, II, Leidd. Voss. I, III, O. 1, B. 2, Guarn. Dresd. ed. princ. et vett. pr. Huschk. Anal. ad Tib. p. 700. *Omina* cett. codd. vulg. Lachm. *clademque* Neap. Leid. II, Voss. 3, B. I, Bon. Gr. O. I, Lachm.

v. 11. *numina* Gr. O. II, alii ap. Latin. Latinium. *limina* Regg. Colbb. M, Borr. Voss. III, in marg. B. I, edd. vett.

v. 13. *Cum videam* B. I, Leid. II, Voss. IV. *oneratos Caes. axes* codd. edd. vett. Lachm. *onerato C. axe* ed. Muretus, Scaliger. vulg.

v. 16. *Incipiam titulis oppida lata suis* em. Heins.

v. 19. *prolem serva* Leid. I, Ask. B. II, edd. vett.

v. 22. *Me sat* Gr. Borr. Neap. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Bon. Guarn. Lachm. *Mi* cett. codd. vulg.

ELEG. IV.

v. 2. *Sat mihi* conj. Livinej. et Heins. rec. Lachm.

v. 3. *Nec tamen* codd. edd. vett. *Non t.* Gr. rec. Broukh. vulg. *Nec tantum* Lachm. e conj.

v. 4. *bibat* Lachm.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
  Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens, mentem non vidit in arte:
  Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento jactamur et hostem
  Quaerimus atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis,
  Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors parca quae venit apta die.

---

v. 5. *aretur* idem.

v. 6. *ire paro clade* v. c. Perreji, M. Ask. Leid. I, Colb. II, a m. pr. *ire paro classe* Regg. Colb. I, Borr. Guarn. Dresd. Voss. 3, O. 2, Exc. B. 2, edd. pr. *aera pare clade* Gr. Palat. Comelin. Colb. II, a m. sec. *aere* Neap. *aera paro clade* Vat. I, II, V, alii ap. Latin. Latini. vulg. *aera peto* alii. *Nec misera aera paro clade C. tua* Broukh. conj. *aero peto classe* Markl. *Nec mista aera peto clade* Ruhnk. *Nec miser aera peto classe, C., tua* Acidalius. *Nec miser ire paro classe C. tua* Burm. major. *Nec mi serta paro clade C. tua* Heinsius.

v. 9. *componens* Leid. II, Voss. III. *vidit inertem* Colot. Leid. II, Voss. III. conj. Heins. *in arce* codd. Passerat.

v. 11. *infandum* v. c. Fruterii alii teste Passerat. Ms. Palmerii. *intactum* Pal. Gebh. *ventis* edd. Aldd. Colin. Gryph. aliae.

v. 14. *ab inferna rate* Perrej. Colot. Vatic. 3, vulg. *ad infernas rates* cett. codd. edd. vett. Lachm. *Nudus at inferna rate* conj. Schrader.

v. 15. *miscebimur undis* Gr. *miscebitur undis* vel *umbris* codd. edd. vett. em. Janus Gulielmius. vulg.

v. 18. *parta* B. I, Pal. membr. Dresd. *parta — acta* Palat. *acta* cod. Fruterii, Neap. Bon. Vat. I, V, Eyb. in Margarita Poet. *apta* Gebh. *tarda — acta* Guyet. *propera* Heins. *Parcae, q. v. acta die* Lachm. e conj.

Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat et multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas:
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores:
Quis deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua;
Si ventura dies, mundi quae subruat arces;
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves, et plaustra Bootes;
Pleïadum spisso cur coit igne chorus;

---

v. 19. *juvet* Neap. M, Guyet. Markl. Lachm. et sic disticho seq. Pal. Guarn.

v. 24. *integras* Ms. Fruterii Guarn. Pal. Exc. Leid. I, Livineji codd. Borr. Gr. B. 2, Voss. I, IV, spscr. *in nigras* edd. vett. *ingratas* Vat. V, Leid. II, Voss. III. *Sparsit et integras* Vat. Pal. membr. Dresd. Regg. Colbb. O. II. *Sparserit et nigras* Bon. *Sparserit et nigras* Neap. Perrej. Vat. I, II. alii vulg.

v. 25. *liceat* Gr.

v. 27. Hoc distichon Broukh. post v. 34 transponit.

v. 29. *superent* Gr. O. II.

v. 31. *Sit* codd. *Sic* Palat. *Si* e Passeratii libris Guyetus vulg. *arcem* Palat. membr. Colb. *axem* Dresd.

v. 32. *bibat* M, O II, Ask. Bon. pr. Burm. et Santen. ad Balbum.

v. 34. *attractis* Dresd. Colb. Gr. Leidd. Voss. III, IV, B. 2, O. II, et in marg. *auratis*. *actractis* Ask. *a tractis* Borr. Guarn. *astratis* Vat. I. *aratis* O. I.

v. 35. *senis* Voss. I, Heins. O. I. *segnis* Voss. III, rec. Scaliger. *serus* codd. edd. vett. rec. Broukh.

v. 36. *spisso igne* codd. edd.

Curve suos finis altum non exeat aequor,
  Plenus et in partis quattuor annus eat;
Sub terris si jura deum et tormenta Gigantum;
  Tisiphones atro si furit angue caput;
Aut Alcmaeoniae furiae, aut jejunia Phinei;
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
  Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi! vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

ELEGIA V.

AD LYGDAMUM.

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
  Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta juga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
  Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vanis esse relator,
  Majoremque metu servus habere fidem.

---

cett. Lachm. *imbre* em. Heins, et Markl. vulg.

v. 39. *sint et sunt* codd.

v. 44. *et* deest M, Voss. III, a m. pr. *an Tityo* Perrej. Colot. Vat. I, conj. Oudendorp.

v. 47. *superest* Leidd. Voss. I, III, O. 2, B. 2, edd. priscae.

ELEG. V.

v. 3. *Num* Perrej. Colot. Vat. I, II, vulg. *Non* Neap. *Dum* cett. codd. edd.

v. 5 et 6 ut spurios incl. Lachm.

v. 5. *sic* Regg. Colb. II, B. II, p. v. l. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc. vulg. *sine vano* vel *vanis nuncius esse* cett. codd. et edd. omnes ante Broukh.

v. 6. *Majoremque timens servus habere fidem* codd. edd. pr. *Majoremque metuens* cod. Mureti qui *metu* emend. vulg.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe; suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac moestam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus et tristes sua pensa ministrae
  Carpebant? medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana?
  Retulit et querulo jurgia nostra sono?
„Haec de teste mihi promissa est, Lygdame, merces
  Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  Ac qualem nulla dicere habere domo?

---

v. 9. *Sicut eam* codd. edd. pr. *Sic ut eam* Regg. Palatt. Comel. *Siccine* vulg. *Si eam* vel *Si causa incomptis* Neap.

v. 13. *At* Gr. Palatt. Comel. Livinej. rec. Lachm. *Ad M. Agrestem teneris* Ask. *An* em. Burm.

v. 16. *toro* O. II, pr. Heins. *colo* alii ap. Latin. Latinium.

v. 17. *laena* conj. Heins. et Burm.

v. 21. *Illa* Regg. Voss. I, III, O. 2, M, sec. a m. Guarn. *miserum* Borr. Leidd. Voss. I, III et IV, a m. sec. O. 2, Guarn. ed. Brix. *fato* Leid. II. *pacto* Exc. Voss. III. *Illa potest nullo miserum* cet. edd. pr. pr. Burm.

v. 22. *Equalem* vel *Aequa-lem* codd. *Et qualem* con Broukh. *Ac qualem* ed. Scali vulg. *Aequalem nulla dic habere domo?* vel *nullam do* conj. Heins. *domi* Palat. Geb *Et qualem nullas dictet habe domos* vel *nulla domo* vel *A qualem ducere* Passerat. *ave* Gebh. *Aequalem nulla ducere ab arte domum* D'Orvill. *Rivalem ex illa dicor habere domo?* Markl. ad Statii Silvas p. 241. *Et quali nullam dicere amare modo* Koppiers. Obs. Phil. p. 146. *modo* cod. Scalig. *At qualem nulla cui sit habere domo* Burm. *Aequalem nulla cui sit habere domo* Lachm. in annot.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
  Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranae portenta rubetae,
  Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt,
Et strigis inventae per busta jacentia plumae,
  Cinctaque funesto lanea vitta toro.
Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia, testor:
  Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes,

---

v. 23. *solum* Exc. Regg. Leid. II, Voss. III, IV, O. II, edd. pr. *Gaudeat et solum* Ask.

v. 24. *morte tua* Ask. alii ap. Latin. Latinium.

v. 25. *Inproba non vicit me moribus illa sed herbis* ed. Beroald. 1487, Aldd. Colin. Gryph. Rovill. cet. priores edd. ut codd.

v. 26. *illa* Ask. Voss. III, IV, p. v. l.

v. 27. *protenta* Voss. I, O. II, a m. pr. *Illum turgentis sanie prosecta* conj. Heins.

v. 28. *exectis* Colot. Vat. I, II, Leid. II, Voss. IV et III a m. pr. O. I, B. II, Pal. membr. Comel. *ex satis* M. *exsustis* Exc. *lasta exactis* Borr. *exactis* Colb. II, O. II, B. I. *exsectis uncis* Regg. *ex sertis* vel *ex sectis* Colb. p. v. l. *exsectis anguibus* cod. Fruterii. *exsectis* Dresd. *Electa* Pal. 1. *ex sectis* edd. vett. *enectis* conj. Heins. *Exsecta e vivis anguibus exta* idem vel *e foetis anguibus exta* vel *Et lecta ex seris ignibus ossa trahunt* quod pr. Burm. *Et lecta ex atris ignibus ossa trahunt* Markl. *Et tecta exsuctis* vel potius *exsuccis unguibus ossa trahunt* Burm. *unguibus* Broukh. ed. vulg. *anguibus* codd. edd. vett. *Et l. ex structis ignibus ossa tr.* Lachm. Oudend. tuetur ad Lucan. VI, 543. *anguibus* simul *trita* p. *lecta* conj.

v. 29. *carentia* O. II. *rotantia* Gr. cf. Hand. ad. Gron. Diatr. p. 156.

v. 30. *viro* codd. edd. vett. *toro* em. Heins. vulg. *rogo* vel *funestae* l. v. *pyrae* idem. *Cynthiaque* O. I. *Junctaque* cod. Heins. *Vinctaque* em. Heins. rec. Lachm.

v. 31. *cadunt* Vat. V, Leid. II, Voss. 3, O. I, B. II, Vat. ap. Livin. pr. Passerat. Gebh. Sciopp. non impr. Burm. *mea somnia Lygdame testor* plerique codd.

Putris et in vacuo texetur aranea lecto,
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus."
Quae tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta:
Iram, non fraudes, esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni,
Jurabo, et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

ELEGIA VI.

DE MORTE PAETI OB AVARITIAM.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es;
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam, dum te sequitur, primo miser excidit aevo
Et nova longinquis piscibus esca natat;
Et mater non justa piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae;
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.

---

v. 40. *Jurabo bis sex* M, Neap. Borr. Leid. II, Voss. 3, Ask. O. 2, B. 2, Guarn. *Jurato* conj. Heins. cf. Huschk. ad Tib. p. 85. *hos p. et* Lachm. conj.

v. 41. *Quod nisi et tanto* Neap. *Quod mihi si e tanto* Lachm. in annot.

ELEG. VI.

v. 9. *At* Gr. pr. Guyet. Heins. Markl.

v. 12. *mare est* Guarn. Scalig. Neap. Voss. 3, O. 2, B. II.

Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus iste viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid carà natanti
  Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Quae notàt Argynni poena natantis aqua.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides,
  Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
  Paetum sponte sua vilis arena tegat;

---

v. 13. *memor* O, Perrej. Colot. Vat. I, II. *immemor* conj. Heins.

v. 15. *quinam* O. I. *quianam* Markl. *quid tam* Lachm. in annot.

v. 19. *Jam tibi* Lachm. e conj.

v. 20. *de trito* B. II, alii codd. edd. antiq. *de tristi* Borr. B. I.

v. 22. *Qua notat* Borr. Leid. Voss. 2, B. 2, Guarn. *Qua notat Argivum poena minantis aquae* Regg. Colbb. M. *Qua natat Argimni* Ask. *natat Arginii* alii ap. Latin. Latinium. *Qua notat Argynni poena natantis aquas* Ferrarii l. *Arginni* Puccii v. c. *natat* Vat. V, O. II. *minantis* Leidd. Voss. IV, B. 2, O. 2, Pal. Bon. Dresd. edd. pr. *natantis aquas* Colot. Vat. I. *Arginni* Perrej. Leid. Guarn. *Argynni* Leid. II. *Argivi* Heins. Palat. *Argivum* Dresd. *Agynni* Neap. *Argymni* Vat. V. *Argivis* Gr. Comel. *Qua notat Argivum* edd. pr. *minantis aquas* corr. Fruterius. *Quae notat* vel *Quas n.* Passerat. *Qua notat Argynni poena notantis aquas* em. Parrhasius pr. Heins. et Canterus. *Quae notat Argynni poena, minantis aquae* Marcilius. *Quae notat A. p., minacis aquae* Lachm. Vulg. e Cujac.

v. 23. *Hic j.* Lachm. e conj.

v. 25 et 26. *posita est in gurgite vita* Neap. *positumque in margine ripae* Markl. ad Statii Silv. p. 211 pr. Burm. *mollis arena tegas* Markl. *tegat* Pal. I. *sua — tegat* em. Guyet. et Santen. rec. Burm. *Reddite corpus humo positumque in gurgite, venti, Paetum; sponte tua, vilis arena, tegas* Lachm.

Et, quoties Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas;
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas;
Naturae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcunque paras; haud ulla carina
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris;
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphalis fregere Capharea puppis,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.

---

v. 27. *Et quoties* codd. edd. vett. Lachm. *Ut q.* em. Dousa vulg.

v. 29. *Ite rates curvae et* cod. Farnesian. et Ursini Leid. II, Voss. 3, B. 2, O. 2, Pal. uterque. *curvae et leti quoque texite caussas* Regg. Colbb. edd. vett. et Octav. Mirandula. *Ite r. curvae ite et l.* M. *contexite* Leid. II, Voss. III, IV, B. I, Borr. *caussas* ed. princ. *curvae — curas* Ask. *terite* Neap. *detexite* Vat. V. *curvae et letius texite causas* Gr. *et leti texite causam* v. c. Scalig. *Ite, rates curvas, leti contexite causam* conj. Heins. pr. Burm. *Ite, rates curvas, l. c. causas* Bochius ap. Livinej. p. 124. *Ite, rates curvae, l. c. causam* id. Heins. pr. Graevius. vulg. est ex Passeratii em. pr. Gronov. Obs. II, c. 9, Guyeto Graevio cet.

v. 31. *terris adjecimus undas* Voss. III, Dresd. edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliae.

v. 32. *Fortunae* codd. edd. vett. Lachm. *Naturae* conj. et rec. Broukh. vulg. pr. Markl. *Aerumnae* conj. Heins.

v. 37. *Natura* codd. edd. vett. Lachm. *Fortuna* e conj. rec. Broukh. vulg. pr. Markl. *portum* Palat. Gebh. *insidians* Leid. I, Voss. 3, O. 2, B. II, Dresd. edd. vett. praeter Ven. 1500.

v. 38. *isse potes* vel *subsidat sat s. esse p.* Heins.

v. 40. *trita* B. I. Borr.

Paullatim socium jacturam flevit Ulixes,
  In mare cui soliti non valuere doli.
Quodsi contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva Penatis,
  Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit haec Paetus, stridorem audire procellae,
  Et duro teneras laedere fune manus.
Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi
  Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivos radicitus abstulit unguis,
  Et niger invitam traxit hiatus aquam.

---

v. 41. *Et plantim* Voss. IV. *Palantum* em. Heins. pr. Burm. *Pellax et* id. H. *jactura* cod. Heins. Pal. Gebh. *flebat* Regg. Colbb. M.

v. 42. *soli* codd. *soliti* v. c. Passerat. et sic conj. Lipsius vulg. *solum* Vat. V, et sic Fruter. Muret.

v. 43. *O si contentus* Lachm. e conj.

v. 46. *at interea* Pal. I. *in terea* Pal. II. *at interea nil nisi flere potest* Regg. Colbb. Dresd. edd. vett. *potes* Dresd. ed. Brix. *et in terra* edd. Aldd. aliae. *at in terra nil nisi flere potest* Perrej. Colot. Vat. I, II. *nil ubi flore opus est* Markl. *Nil ubi turbo potest* Jacobs. *potis* Lachm.

v. 47. *Petus* edd. vett. *Paetus* codd. ut videtur omnes certe Leidd. Voss. III, IV. *hic* edd. vett. *hunc* Guarn. Vat. Livin. Borr. Scalig. Heins. Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. II. *Haec Paetus* Neap. Palat. Lachm. *tuleris* vel *t. hic P. Paetus* conj. Heins. *huic pectus* em. Scalig. vulg.

v. 49 et 50. *Cio thalamo* Harlej. ed. Brix. *Chio calamo* codd. *thiae th.* ed. Ven. *Orythia terebintho* Regg. Colbb. Borr. Voss. I, IV, edd. pr. *Orithia terebinto* Ask. *Orynthia* O. I. *Corycia* Leid. II. *Oronthea* M. *Orithia* Guarn. *Orica* cod. Heins. ed. Ven. *Oricia* edd. Aldd. cet. *Oronthea therebinto* cod. Vlamingii. *terebnutho* B. II. *teretento* Voss. IV. *Aut fultum* Voss. IV, Borr. Gr. Vatic. *Effultus* Perrej. Colot. Vat. I, II. e Mss. pr. Heins. *Et fultum* cett. codd. edd. pr. *Effulto* em. Scalig. vulg. *Sed Cnidio calamo aut Oricia terebintho Et fultum* Lachm.

v. 51. *vivo* codd. edd. vett. *vivos* correx. VV. DD. vulg.

v. 52. *miser invisam* Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, alii et edd.

Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno.
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di, maris Aegaei quos sunt penes aequora, venti,
Et quaecunque meum degravat unda caput:
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, alcyonum scopulis adfigar acutis;
In me caeruleo fuscina sumpta deo est.
At saltem Italiae regionibus advehat aestus.
Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso subponere brachia mento;
Non poterat vestras ille gravare manus.

---

vett. *miser* Ask. *invisam* Regg. Colbb. *invitam* Palmerii et Scalig. cod. Borr. *miser in vivam* Pal. *niger* em. Lipsius Ant. Lect. II. c. 10. vulg. *Et miserum invisae — aquae* Heins. *Ut niger invitum t. h. aquae* Burm. *Et miserum invita t. h. aqua* Lachm.

v. 57. *ponti* p. *venti* Exc. et ed. Scalig. sic conj. Markl.

v. 60. *freta vasta* Regg. Colbb. Ask. Membranae Gebh. edd. pr. et aliae Burm. *freta longa* Borr. Guarn. B. II. *Haud tulimus* conj. Heins. *An tulimus* Arntzen. *lotas — manus* Lipsius pr. Struchtmeyer. *longas comas* conj. Oudend. locum corruptum censet Markl.

v. 61. *affigar* Gr. Dresd. edd. Ald. cet. *ego figar* B. I. *infigar* Pal. Bon. Ceteri fere omnes *affligar* vel *atfl.*

v. 63. *advehat* Scalig. O. II, rec. Scalig. vulg. *avehat* Voss. III, Guyet. *evehat* cett. codd. edd. pr.

v. 66. *noxque* Gr. Ask. Leid. II, Voss. III, O, B. II, edd. vett. pr. Markl. *vaxque* cett. codd. et sic conj. Dousa P.

v. 68. *Theti* conj. Puccius et Heins. rec. Lachm. *Thetis* vulg.

At tu, saeve Aquilo, nunquam mea vela videbis;
  Ante fores dominae condar oportet iners.

ELEGIA VII.

AD CYNTHIAM.

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
  Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
  Projicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
  Et mea formosis unguibus ora nota;
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma;
  Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
  Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
  Et Veneris magnae volvitur ante pedes:

ELEG. VII.

v. 1. *Externas* Borr. Gr. O. 2, B. 2, septem codd. Broukh. ed. Ven. 1475. Reg. Lep. Volsc. Aldd. Junt. Colin. aliae. *extremas* M. ed. princ. Ven. 1491, Calphurn. 1481, Volsc. 1482, vulg. *hesternas* Dresd. Perrej. Colot. Vat. I, II, V, Voss. III, p. v. l. ed. Beroald. Gryph. pr. Heins. rec. Lachm.

v. 3. *Quor* sive *cur* codd. edd. vett. *Quo* Voss. IV. *Cui* Palat. *Cum* Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliae. *cur* rec. Lachm. *Dum* Broukh. e conj. vulg. *precelis* Palat. unde *procellis* fecit Gebh. ed. Broukh.

v. 7. *mutare* Regg. Colbb. Dresd. edd. pr.

v. 9. *coloris* Borr. Regg. Leid. Voss. III, alii ap. Latin. Latinium. ed. Brix. *doloris* Heins. Colb. II.

v. 11. *gravida* codd. edd. vett. *rapida* quidam Mss. Passeratii. *rabida* emr. Scalig. vulg. *rava* Oudend. ep. ad Schraderum ap. Weber. praef. ad Lucan. p. XXI.

Custodum gregibus seu cum se stipat euntem,
Seu sequitur medias Maenas ut icta vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex.
Has didici certo saepe in amore notas:
Non est certa fides, quam non injuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis!
Immorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem;
Sive meas lacrimas, sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quos nunquam pungunt suspiria somnos;
Semper in irata pallidus esse velim.

---

v. 13. *circum se* Dresd. edd. Aldd. Scalig. *circa se* cett. codd. edd. pr. *ceu cum se* Franc. II, teste Broukh. (Burm. ex eodem *circa se* enotat). *seu cum se* vulg. *Custodum et gregibus circa se* Lachm.

v. 14. *acta* Borr. Leid. II, Voss. III, O. II, Guarn. Vatic. *jacta* M.

v. 18. *Has didici certo* M, Voss. 2, B. I, Neap. duo Francian. Borr. ed. princ. Ven. Lachm. *Nam d. certo* Regg. Colbb. B. II, Dresd. edd. Aldd. Brix. *Has didici certas* Vatic. Livin. Scalig. cod. Leid. II. *Has certo didici* Gr. *Nam d. certas* vel *Has d. veras* Markl. *Has d. experto* Heins. pr. Burm. *Has d. certas esse in a. n.* Francius. *Has certas d. saepe* vulg.

v. 21. *In morso* codd. edd. vett. *Inmorso* Bon. Dresd. correx. Heins. pr. Broukh. rec. Burm. Lachm.

v. 25 et 26. Hoc distichon uncis incl. Lachm. praeeuntibus D'Orvillio et Burm. in annot. — primus v. abest a M. *scripta dolenda* M. *signa silenda* Markl. *dicta silenda* Guyetus et Broukh.

v. 27. *quos* Colot. Vat. V, margo Colb. vulg. *quae n.* cett. codd. edd. vett.

v. 28. *in iratam* Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Bon. Dresd. edd. pr. *irata* Neap. vulg.

Dulcior ignis erat Paridi, cum Graja per arma
  Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
  Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
  Semper erunt; in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa: doleres,
  Si qua foret; nunc sis jure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
  Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
  Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

ELEGIA VIII.

AD MAECENATEM.

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam;
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.

---

v. 29. *grata* p. *arma* codd. edd. pr. correx. Palmerius. Fruterius alii.

v. 33. *per te* Gr.

v. 37. *tendisti* codd. edd. vett. *nexisti* Vat. I, V, Diomedes p. 366. ed. Putschii vulg.

v. 38. *Sit sacer aeternum nec sine marte torus* conj. Santen. pr. Burm. *sine marte* Vat. I, alii. edd. Beroaldi qui *sacer* etiam habet. *Sit sacer aeternum, sit sine patre torus* Burm.

v. 39. *frustrandae* M. *fraudatae* Gr. Comel. rec. Broukh. *fraude* Pal.

v. 40. *Offensa* Perrej. Colot. Vat. I, II. vulg. *Infensa* edd. Aldd. Junt. aliae post Beroald. *Offensum* Ask. O. II. *Offensam* cett. codd. edd. pr.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
 Fama nec ex aequo ducitur una jugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa;
 Exactis Calamis se mihi jactat equis;
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles;
 Parrhasius parta vindicat arte locum;
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae;
 At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno;
 Praxitelen Paria vindicat urbe lapis;
Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae:
 Est, quibus in celeres gloria nata pedes;
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis:
 Naturae sequimur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
 Cogor et exemplis te superare tuis.

ELEG. VIII.

v. 8. *Flamma* et *rogo* p. *jugo* codd. edd. pr. *ulla* vel *illa* p. *una* codd. et Eyb. Marg. P. et Octav. Mirandula. pr. *ulla* Gronov. Diatr. c. 30. p. 317 sq. ed. Hand. rec. Lachm. *Fama — una jugo* em. Lipsius vulg. *palma — una jugo* cod. Heins.

v. 11. *sibi poscit* Neap. B. II.

v. 12. *parva vindicat arte* codd. edd. vett. Burm. Lachm. *parta arte* ed. Scalig. vulg. *priva* id. conj. *Pyrricus* Vat. I. *Pireicus* Vat. IV. *Pyreicus* vult Beroald. edd. Ald. I, Junt. Muret. Colin. aliae ante Scaligerian. *jocum* p. *locum* Lachm.

v. 15. *armat* Comel. Gr. versum h. uncis incl. Lachm.

v. 16. *propria vindicat urbe* codd. edd. Ven. 2, Reg. Lep. Volsc. *proprio v. orbe* Ask. *proprius* Exc. Leid. II, Voss. III, pr. Markl. *tota v. urbe* Pal. membr. *propria arte* ed. Rovill. *Parius vind. arte lapis* libri Beroaldi edd. ejus Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliae. *Paria urbe* ed. Broukh. Lachm. *Parius urbe* Burm. *Praxitelen* Neap. Lachm. *Praxitelem* vulg. *vendicat* B. I, Pal. Comel.

v. 22. *me superare* conj. Burm.

Cum tibi Romano dominas in honore securis,
  Et liceat medio ponere jura foro,
Vel tibi Medorum pugnacis ire per hostes,
  Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
  Tempore tam faciles insinuentur opes;
Parcis, et in tenuis humilem te colligis umbras,
  Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
  Judicia et venies tu quoque in ora virum,
Caesaris et famae vestigia juncta tenebis:
  Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
  Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
  Cadmi, nec semper praelia clade pari;
Nec referam Scaeas, et Pergama Apollinis arcis,
  Et Danaum decimo vere redisse rates,

---

v. 24. *promere jura* conj. Ruhnk. *condere* Heins.

v. 25. *ire per enses* Burm. maj. ad Virg. IX, Aen. 400. *ire p. arcus* Janus Helvetius. *ire p. hastas* Burm. ad Anthol. Lat. I, p. 250. et Markl. pr. Wyttenb. l. l. *ire per astus* Lachm. *pugnantes* Pal. Gebh. *pugnatos* Gr. et Ms. Palmerii.

v. 26. *honorare* Gr. B. I, unde *ornare* Schrader. Em. p. 150 et 151 et alii.

v. 32. *Indicia* B. I, edd. Aldi Junt. Colin. Grasser.

v. 36. *Tota* codd. edd. pr. *Tuta* O. II, Gr. alii ap. Latin. Latinium. restitui Palmerius. *exiguo est fl. n. ratis* Gr. Perrej. p. v. l. in O. II, alii ap. Latin. L. Passeratii l. et sic Franc. et fere Guyet. *via est* Dresd.

v. 37. *sedisse* codd. edd. vett. pr. Ruhnk. *sidisse* ed. Broukh. vulg. Lachm.

v. 38. *septem proelia* conj. Lips. Ant. Lect. II, c. 10. *fratrum praelia* Passerat. libri pr. Markl.

v. 39. *Apollinis arces* codd. edd. vett. Lachm. *artes* e conj. ed. Broukh. vulg.

v. 40. *decimo vere* codd. edd. vett. Lachm. *undecimo* e conj. Broukh. vulg.

Moenia cum Grajo Neptunia pressit aratro
  Victor Palladiae ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
  Et cecinisse modis, Coë poeta, tuis.
Haec pueri curent, curent haec scripta puellae,
  Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, coeloque minantem
  Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis,
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
  Ordiar, et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares sylvestri ex ubere reges.
  Crescet et ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantis,
  Parthorum astutae tela remissa fugae,
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique gravis tu sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.

---

v. 42. *artis equus* codd. edd. vett. Lachm. *artis opus* Guarn. alii. *arcis equus* e conj. Broukh. vulg.

v. 44. *dure poeta* codd. edd. pr. *Dore* em. Scriverius rec. Broukh. *Coe poeta* em. Beroald. et sic cett. edd. Burm. Lachm. *pure poeta* conj. Scalig. pr. Valck. Callim. p. 5 et Lachm. *Sit — tuis!* praeterea corrigens in annot.

v. 45. *Haec curant pueros haec curant* Regg. Colbb. Borr. Gr. Ask. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Palatt. 2, Bon. Dresd. edd. vett. *Haec pueri curent, haec curent scripta puellae* Perrej. Vat. I, II. *Haec curent p. haec c. scr. p.* ed. Broukh. *Haec pueri curent c. h. scr. p.* Francius. ed. Burm. *Haec urant pueros, haec urant scripta puellas* ed. Volsc. II, Lachm. et sic Guyet. et Passerat.

v. 46. *dona ferant* Scalig. Voss. III, Ask. Post h. v. Lachm. inseruit v. 59 et 60.

v. 47. *minacem* M, pr. Burm.

v. 49. *Celsave* Lachm.

v. 55. *castra* codd. edd. pr. *claustra* em. Palmerius et Lips. vulg.

v. 57. *Mollis* codd. edd. pr. *Mollia* em. Broukh. vulg.

Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est,
Quod ferar in partis ipse fuisse tuas.

ELEGIA IX.

DE NATALI AMICAE SUAE.

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentis,
Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, et poscentes justa precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo,

---

v. 59. *est* abest a plerisque Mss.

ELEG. IX.

v. 6. *minax* Bon.

v. 8. *ipsa suas* B. I. *ipse suas* M, Voss. I, Guarn. pr. Heins. *Niobe — ipse lapis* alii codd. edd. pr.

v. 12. *potentes* B. I. *praesentes* Passeratii libri. *poscendos* Lachm. e conj.

v. 15. *Dehinc* M.] *primum* codd. edd. vett. Lachm. *pridem* e conj. Broukh. vulg.

v. 17. *fama* Regg. O. II, edd. Ven. Brix.

Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino naris murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae,
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos;
Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus:
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

ELEGIA X.

FEMINAS IMPERARE AMANTIBUS.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?

---

v. 21. *moxque* Borr. Regg. M, Voss. I, IV, B. I, edd. pr. *curat* Borr. M, B. 2. *vosque* Perrej. *voxque* Colot. Vat. 3, ed. Ven. pr. Burm. *cantet* conjiciens.

v. 22. *crocinonarix* Borr. *naris* M, Voss. I. *t..... mureus* B. I. *Et croci nonaris mureus* B. II, et in marg. *croum* p. v. l. *crines* p. *nares* vult Heins. non impr. Burm.

v. 25. *convicia* conj. Broukh. pr. Ruhnk.

v. 26. *aura* codd. ed. princ. *ara* Regg. edd. pr. *perstrepet* Neap. Leid. II, Voss. I, III, O. 2, B. II, alii ap. Latin. Latinius *percrepet* conj. Santen.

v. 31. *thalamo et solemnia* Colbb. B. II, Dresd. ed. Vicent. 1487, Volsc. Beroald. Ald. Brix. Ven. Colin. Gryph. aliae.

v. 32. *ter peragamus* Gr. M, Voss. I, Lachm. *ter sic peragamus* Guarn. *faciamus* plures codd.

Venturam melius praesagit navita noctem;
  Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita jactavi verba juventa;
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantis adamantina sub juga tauros
  Egit, et armigera praelia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
  Maeotis Danaum Penthesilea rates,
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus;
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arcis,
  Jussit et imperio subdere Bactra caput.

ELEG. X.

v. 5. *mortem* Fruterii l. Palat. Comel. Gr. Borr. Leidd. B. 2, O. I, Dresd. Guarn. edd. vett. pr. Markl. *vetulus* p. *medius* Markl. *pavidus* conj. Lachm.

v. 14. *Injectis* codd. edd. princ. aliae. *mectis* Ask. *Maeotis* ed. Beroald. Aldd. cett.

v. 17. *Omphale et in* M, Vat. V, Voss. III, ed. Burm. vulg. *et* om. cett. codd. et edd. ante B. *Omphaliae* Regg. B. II, ed. Brix.

v. 23. *misit* M, Dresd. edd. Aldd. Colin. Gryph. pr. Burm. Markl. *missit* edd. pr. *immissi* vulg. *missi* codd. fere omnes Leid. Beroald. Lachm.

v. 25. *Auxit* B. 1. *medium, quam condidit, arci* conj. Heins. pr. Burm. quam B. II.

v. 26. *subdere* conj. Burm. maj. et Schrader. pr. Burm. rec. Lachm. *surgere* codd. edd.

Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Juppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,
Et famulos inter femina trita suos,
Conjugii obsceni pretium Romana poposcit
Moenia, et addictos in sua regna patres?
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tris ubi Pompejo detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo;
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine adusta nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Jura dare et statuas inter et arma Mari.

---

v. 27. *crimina* Leid. II, Voss. IV, B. I, Dresd. vulg. *carmina* Regg. Voss. III. *crimine* cett. codd. ed. Broukh.

v. 31. *Conjugis obscoeni* codd. *Conjugii obscoeni* vulg. *Conjugi et obsc.* Lachm. *Conjugis obscoenae* Heinsius.

v. 32. *adductos* Voss. IV, Ask. B. I, alii. *abductos* Pal. I. *rura* Gr.

v. 33. *Alexandria* codd. edd. vett. em. Broukh. vulg.

v. 35. *distraxit* Leid. *verna* p. *arena* conj. Heins.

v. 36 et 40 ap. Lachm. loca sua commutarunt.

v. 40. *adusta* codd. edd. vett. Lachm. *inusta* Exc. Perrej. rec. Scalig. vulg.

v. 41. *Anubim* Neap. ed. Lachm. *Anubin* vulg.

v. 45. *canopeia* codd. pene omnes edd. pr.

v. 46. sic v. c. Perrej. Colot. Vat. I, II, ed. Broukh. vulg. *Jura daret* Regg. edd. pr. *dare statuas* cett. codd. edd. Aldd. Junt. cet. Post h. v. ap. Lachm. distichon 59 et 60.

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse securis,
  Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum,
  Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
  Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
  Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
  Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
  Femineas timuit territa Marte minas!
Hannibalis spolia, et victi monumenta Syphacis,
  Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
  Ac Decius misso praelia rupit equo.

---

v. 47. *Tarquini* plerique codd. edd. vett.

v. 49. *Sed mulier* M, Borr. Voss. I, Guarn. *Et m.* B. I. *rapienda* M. *capienda* Bon.

v. 50. *longum* quidam libri ap. Broukh. et B. ed. princ. Brix. Ven.

v. 51. *tumidi* M, Heins. Leid. II, Voss. I, III, Gr. O. 2, Pal. Comel. membr. B. 2, pr. Passerat. *vada* Pal. Dresd. M, Neap. *vana* Voss. IV.

v. 52. *tuas m.* Reg. II.

v. 55. *Non hoc, R. fui* v. c. Perrej. Vat. II, M. *hoc* Neap. Borr. Regg. Colbb. Voss. 3, O. 2, Pal. Mss. ed. Ven. Brix.

v. 56. *Dixit et assiduo* codd. edd. vett. em. Passerat. et D. Heins. vulg. *Et dux, assiduo* N, Heins.

v. 57. *toti* Leid. II, Voss. I, Posth. ap. Livin.

v. 59. Ante h. v. Passeratius Broukh. Burm. posuerunt distichon 67 et 68. p. *monumenta* Lachm. in annot. *sunt parta.* Alterutro v. *documenta* reponendum censet Burm.

v. 62. *Et Decius misso* Voss. IV, Ask. B. I, Vat. ap. Livin. *At D. misso* Voss. I, O. II, Dresd. edd. vett. *Ac D. misso* Leidd. Voss. III, B. II, ed. Lachm. pr. Heins. *Admisso Decius* em. Scalig. vulg.

Coclitis abscissos testatur semita pontis;
   Est cui cognomen corvus habere dedit.
Haec dii condiderunt, haec dii quoque moenia servant:
   Vix timeat, salvo Caesare, Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
   Aut modo Pompeja Bospora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
   Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
   Caesaris in toto sis memor Iönio.

ELEGIA XI.

AD POSTUMUM DE GALLA.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
   Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
   Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
   Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
   Potabis galea fessus Araxis aquam.

v. 64. *Et cui* codd. edd. vett. em. Broukh. et sic Vat. II, vulg.
v. 65. *condiderant* codd. edd. vett. em. Livinej. et Scalig. et sic Palat. Gebh. vulg.
v. 68. *Aut modo* Neap. Vat. V, Borr. Gr. Ask. Leidd. Cujac. Voss. 3, O. 2, B. II, alii ap. Latin. Latinium. ed. Lachm. *Aut ubi* Regg. Colbb. edd. pr. et vett. *Pompeji* Cujac. *Et modo* cett. codd. vulg. *Bosphore* Neap. B. II. *schedae* Modianae. *Bospore capte* vel *aperta* vel *adacte* conj. Heins. primum rec. Lachm.

ELEG. XI.

v. 7. *in tecta* M, Regg. Colb. Borr. Leid. II, Voss. III, IV, B. II, edd. pr. *intecta* Dresd. Neap. ed. Brix, *intexta* Ask.

Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo;
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla;
  Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Cum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocunque die salvum te fata remittent,
  Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes;
  Non illi longae tot nocuere morae:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta
  Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.

Ask. Vat. I, V. *interea* Colb. II, Cujac. Gr. O. II, B. I. *huic texta* conj. Heins.

v. 10. *Haec utinam virtus* Leid. Guarn. *ne fiet* Regg. Voss. III, B. I, Dresd. superscr. *s* edd. pr. *nec fiet* Colbb. *sibi* Vat. V, rec. Burm.

v. 12. *aurato* codd. edd. vett. Lachm. *nec aurato neu* Harlej. *armato* conj. Heins. vulg.

v. 15. *cara* Leid.

v. 18. *Cum sit luxuriae Roma magistra tuae* codd. edd. vett. pr. Markl. praecedente v. *facies* corrigens. *suae* Perrej. Colot. Vatic. 8. pr. Burm. rec. Lachm. *sis l. norma m. tuae?* em. Scalig. vulg.

v. 19. *munere* Leid. Voss.

v. 21. *sanum* edd. vett.

v. 25. *Ciconum mors* Vat. I. *Ciconum domita Ismara clade* Eldik. *Ismara, Cyclops* Burm. *Ismara, Cacre, tuae trux Polypheme* Santen, utrumque impr. Wyttenb. l. l. probatque Fonteinii conj. *Cicanum manus, Ismara capta.* rec. Lachm.

Et Circae fraudes, lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie,)
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctis, totque natasse dies,
Nigrantisque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

ELEGIA XII.

DE AVARITIA PUELLARUM.

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes?
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.

---

v. 27. *Circes* Borr. Gr. *Circe* B. II. cf. Huschk. ad Tib. I, 2, 52.

v. 29. *Lamphatiae* vel *Lampathiae Scythicis veribus* codd. plerique edd. pr.

v. 31. *Coeae*, *Ceae*, *aeae*, *ceae*, *athiae* codd.

v. 34. *lacus* codd. edd. vett. Burm. Lachm. *latus* Broukh. e conj.

v. 35. *lecto* Colb. Neap. Borr. M, Voss. 3, O. 2, B. I, Bon. Regg. Harlej. edd. pr. *revocasse* Perrej. Colot. Vat. I, Borr. Gr. Ask. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. I. *artus* Colb. Exc. M. B. 2. *veterum arcus* Reg.

v. 38. *Laelia* codd. edd. pr. corr. post alios Broukh. vulg.

ELEG. XII.

v. 2. *Venerem* Regg. Gr. Ask. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Guarn. Dresd. edd. primae et aliae.

v. 4. *lubrica* Gr.

Inda cavis aurum mittit formica metallis,
  Et venit e rubro concha Erycyna salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
  Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
  Quaeque gerunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
  Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
  Aut, si qua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
  Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque, ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
  Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
  Conjugium; pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammae pectora praebent
  Imponuntque suis ora perusta viris.

---

v. 6. *Erithrea* Exc. *Eritria* Vat. V. *Eriena* M. *Eritrea* p. v. l. in marg. B. II. *Erythraea* Beroald. voluit pr. Burm. et Lachm.

v. 8. *Cinnamon et multi coston od.* em. Guyet. pr. Burm. *Cinnamaque et m. coston* N. Heins.

v. 10. *Haecque* Perrej. Vat. I, II. *Quoque* Pal. Ms. *ferunt* Ask. *Icariote* Guarn. Dresd. Borr. Leidd. Voss. I, III, Ask. O. 2, B. 2, edd. pr. *Icarioioti* Vat. II. *faustus* Gr. *gerunt* em. Guyet. et Scioppius pr. Rubnk. *terunt* vulg. Lachm.

v. 12. *opprobrium* Leid. Voss. *spolia Oceani nostra* conj. Burm.

v. 14. *ipsa mora* codd. edd. vett. Lachm. *ista* Comel. rec. Broukh. vulg. *Et* p. *aut* conj. Livinej. rec. Lachm.

v. 18. *positis — comis* Gr. rec. Broukh. *fasis* Pal. Gebh. unde hic *laxis*. *pastis* Palmerius. *tonsis* Francius. *fusis* cett. codd. edd. vulg.

v. 19. *laeti* Gr. B. II, Dresd. *laetae* Lipsius.

v. 21. *Gaudens* em. H. Stephanus et Passer. rec. Broukh. aliique.

Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
  Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
  Divitiae quorum messis et arbor erant,
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
  Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
  Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantis,
  Altaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas poena videre deas.

---

v. 23. *Hoc genus* Neap. Borr. Voss. I, III, O. 2, B. 2, Guarn. Dresd. *Hinc g.* vett. libri teste Passerat. *innupta puella* B. II. *puella est* Regg. Colbb. alii codd. edd. pr. *pudica est* conj. Burm. et Cannegiet.

v. 25. *pagana* conj. J. Gulielmius pr. Burm.

v. 27. *Illis munus* codd. omnes, Lachm. *erat* Fruterii cod. Vat. V, Ask. Borr. Gr. Leidd. Voss. 3, O. I, B. I, margo Colb. ed. Berold. et Dousa Lachm. omiss. est in B. II. *erant* cett. codd. ed. princ. Ven. Calphurn. Vicent. *pompa fuit* edd. cett. omnes vulg. *poma suo* vel *dona suo* N. Heins. *Illis poma fuit* vult Huschk. ad Tib. III, 1, 3.

v. 30. *virgineos calathos* codd. edd. vett. pr. Lachm. *vimineos* em. Fruter. Palmer. N. Heins. rec. Burm. *virgatos* nonnulli libri teste Passerat.

v. 32. *pluricoloris* Regg. Colb. Perrej. quattuor Broukh. edd. pr. *viricoloris* Neap. Colb. II, Voss. IV, Ask. *varicoloris* Gr. Leid. Voss. B. I. *versicoloris* ed. Calphurnius et Beroald. vulg.

v. 35. *Atque hinyli* vel *hynuli* p. Regg. Colb. edd. pr. *Atque hinuli* Guarn. Leidd. Voss. I, III, O. II, B. II. *hinnuli* alii. *Atque inuli* libb. teste Broukh. *Atque hinnulis* Ask. *Atque humili* Neap. Borr. Colb. II, O. I, B. I, Dre d. *Atque humilis* Voss. IV, Pal. et Comel. Gebh. Gr. Heins. Vat. alii ap. Latin. Latini. em. Scaliger. vulg.

v. 37. *occurrens lentus* Voss.

Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves,
Diique, deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant vestris verba benigna focis:
Et leporem, quicunque venis, venaberis, hospes,
  Et si forte meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
  Sive petes calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis.
  Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides; auro venalia jura.
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna dei:
At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnasus sparsit in ora nivis.

IV. *lentas* Perrej. M, Borr. Gr. Neap. Vat. I, II, Voss. I, B. 2, Palat. Bon. ed. Volsci. *lenta umbra* O. II. *laetas* Regg. Colbb. Puccii I. Dresd. *latas* ed. Beroald. Aldd. cet. vulg.

v. 39. *Corniger atque Dei* codd. edd. pr. ante Volscum. *Cornigerique Dei* O. II. *contrunger atque Dei* Ask. *Corniger Idaei* em. Volscus in ed. Ven. 1488 vulg. *Corniger atque Idae* Beroaldus ed. 1491. *Corniger Idaei* ed. Beroald. II. 1520. *Cornigeri atque Dei* Palmerius. *Corniger atque sui vacuam* Heinsius. *Corniger inque dies* ed. Lachm.

v. 42. *nostris focis* Borr. Heins. *vestris* cett. codd. edd. vett. Lachm. *versis* em. Scalig. vulg. *ustis* Guyetus. *tersis* Burm. *verba benigna* codd. edd. vett. Lachm. *secunda* Cujacian. rec. Scalig. vulg. *serena* Exc. p. v. l.

v. 43. *veneraberis* Pal. membr. nonnulli libri, etiam Leid.

v. 46. *petes* Neap. Gr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, sex libri Broukh. duo Gebh. edd. pr. Lachm. *potes* Borr. Ask. *petas* vulg. vv. 43—46 Burm. inserendum censet post v. 34 El. 2, l. IV.

v. 48. Post h. v. in Leid. Dresd. aliisque Mss. et edd. Aldd. cett. legitur distichon Ovidii A. A. II, 277.

v. 54. *in ora* Gr. rec. Broukh.

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
  Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
  Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti;
  Experta est veros irrita lingua deos.

ELEGIA XIII.

AD SPARTEN DE LUDIS LACONICIS.

Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae,
  Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infamis exercet corpore ludos
  Inter luctantis nuda puella viros,

---

vulg. *in arma* cett. ut videtur codd. edd. vett. *arva* Borr.

v. 55. *Et sc.* codd. edd. vett. *E sc.* Pal. Gebh. *Te* Puccius ed. Volsc. vulg.

v. 59. *verus* Regg. Colbb. (in alterius marg. *falsus* p. v. l.) Borr. Gr. Voss. I, IV, O. I, B. II, Dresd. Octav. Mirandula edd. pr. aliaeque. *vanus* M, Perrej. Colot. Vat. I, II, V, pr. Heins. vulg. *sis* Reg.

v. 61. *enim* abest a Franc. II, om. Broukh. *nec credita quondam* conj. Schrader. Em. p. 159.

v. 62. *Phoebus* p. *Maenas* v. l. Passerat. *Phoebas* pr. Passerat. ed. Ven. rec. Broukh.

v. 66. *est* abest a Vat. V, edd. Volsci et pr.

ELEG. XIII.

v. 3. *laudes* codd. edd. pr. em. Jo. Auratus. vulg.

Cum pila velocis fallit per brachia jactus,
  Increpat et versi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
  Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris;
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
  Virgineumque cavo protegit aere caput.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
  Thermodontiacis turma lavatur aquis,
Et modo Taygeti, crinis adspersa pruina,
  Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,
  Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
  Fertur, nec fratres erubuisse deos.

---

v. 5. *velocis jactus* codd. edd. vett. Lachm. *veloces* Leid. II, Voss. III, Ask. *veloci jactu* conj. Scalig. vulg.

v. 6. *adversi* Heins. Ask.

v. 9. *pendentia* Heins. Borr.

v. 11. *Circum pulsat equis* var. lectio ap. Latin. Latini. pr. Schrader. et Burm.

v. 12. *praetegit* Livinej. Vat. Voss. IV, rec. Broukh. vulg. *protegit* cett. codd. edd. vett. Lachm. pr. Burm.

v. 13—16. Haec disticha commutarunt inde a Scaligero, auctore Cantero. veterem ordinem reduxit Lachm. *Thermodontiacis* B. I, Borr. Gr. (teste Broukh.) vulg. *Thermo donteis* M, Gr. (teste Burm.) Dresd. Palat. Gebh. pr. Burm. *Thermodoonteis* edd. pr. *Thermodonciacis* ed. princ. *Thermodoontiacis* cett. codd. et edd. vett. *turba* codd. edd. vett. Lachm *turma* em. J. Gulielmius. vulg. *turba vagantur* B. II. *turma vagatur agris* vel *equis* conj. Heins. prius pr. Burm. *Hortatur* p. *Sectatur* conj. Schrader. Em. p. 160. pr. Burm. cf. Huschk. ep. cr. p. 62.

v. 17. pro *arenis* in Perrej. Colot. Vat. I, II, Voss. *ad — undas*. *Athenis* B. II. *henis* B. I. *abenis* Posth. *habenis* cett. codd. (etiam Gr. teste Burm.) et edd. pr. *arenis* em. Volscus vulg.

v. 19. *Interque hos* Lachm. e conj. *Helena* M.

Lex igitur Spartana vetat secedere amantis,
Et licet in triviis ad latus esse suae.
Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi,
Invenias. caecum versat amator iter.
Quodsi jura fores, pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

ELEGIA XIV.

AD CYNTHIAM DE LYCINNA.

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter.

---

v. 23. *Non timor* M, Colb.

v. 27. *Nec T.* Voss. IV, Borr. Gr. Ask. Heins. Neap. Guarn.

v. 28. *Ast neque* B. I. *adoratae* et *adhortatae* Voss. IV, Exc. *auratae* c. *modesta* Palat. membr. *adornatae* Vat. V. *domi* omnes libri. *domus* Vat. II. *comae* Regg. em. Canter. vulg.

ELEG. XIV.

v. 1. *jam nolim multos* Gr. Comel. O. II, a m. sec. *jam nullos nolim* Ask.

v. 3. *Ut mihi praetexta pudor est velatus amicus* Regg. Colbb. Bon. Dresd. Comel. edd. pr. *praetextae — amictu* in marg. Colb. II, ab alia m. *praetexta pudorem v. amicus* Borr. *praetextii — amictus* Neap. *praetextae* Leid. Voss. I, IV, B. 2. *pudor est velatus* Leidd. Voss. 3, O. 2, B. II.

Illa rudis animos per noctis conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus;
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce, tam vero crimine saeva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros ussit regina capillos,
Molliaque immitis fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo!
Saepe illam immundis passa est habitare tenebris;
Vilem jejunae saepe negavit aquam.
Juppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe, tuam servare puellam?
Invocet Antiope quem nisi, vincta, Jovem?
Sola tamen, quaecunque aderant in corpore vires,
Regalis manicas rupit utraque manu.

---

pudor abest a B. I, in quo *praetexta vellatus amictus*. *amicus* Leidd. Voss. 3, O. I. *amictus* O. II, *est velatus* omnes nisi *est sublatus* Palat. et *est spoliatus* in aliis teste Gebh. *pudor est elatus* Guyet. *praetexto* p. *est ablatus amictu* Heinsius. *exvelatus* em. Scalig. rec. Brouckh. *exsinuatus* Santenius pr. Ruhnk. praef. ad Schelleri lex.

v. 5. *cognita* p. *conscia* vult Schrader. Em. p. 362.

v. 11. Ante h. v. Burm. vv. 43 et 44 transponendum censet. *erat* conj. Livinej. rec. Lachm.

v. 13. *traxit* Leid. II, Ask. Paris. margo Colb. *jussit* B. I, Reg. II, Palat. Gebh. Voss. IV, ed. Vicent. Volsc.

v. 21. *Si deus est* cod. Fruterii, O. I, B. 2. edd. pr. e Guarn. *tibi* deest Voss. I. *turpe tibi* Ask. *ibi turpe* Voss. III. *servare* Borr. Gr. Comel. Pal. Gebh. Guarn. Franc. I, rec. Broukh. vulg. *servire* Leidd. Voss. I, III, B. II, cett. codd. edd. pr. Venetae, Beroald. Volsc. Aldd. Lachm. cet. pr. Burm.

Inde Cithaeronis timido pede currit in arcis.
   Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
   Credebat dominae pone venire pedes;
Et durum Zethum, et lacrimis Amphiona mollem
   Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus,
   Eurus in adversos desinit ire notos,
Littore si tacito sonitus rarescit arenae:
   Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera, tamen pietas, natis est cognitus error.
   Digne Jovis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
   Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope cognosce Jovem. tibi gloria Dirce
   Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
   Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

---

v. 29. *lacrimans* Guyetus.

v. 30. *tabulis* Neap. Borr. Gr. Ask. Voss. I, IV, O. I, B. 2, Colbb. (in alterius marg. *stab.*) edd. pr.

v. 31. *fluctus* Vat. V, Borr. Gr. Ask. Voss. III, O. II. *componant* Dresd. O. II.

v. 32. *ubi adverso — Noto* Lachm. *sub adverso — notho* Neap.

v. 33. *si tacito* Gr. rec. Scalig. vulg. *quum* vel *cum t.* Perrej. Vat. 4, Colot. *sic tac.* cett. codd. edd. vett. Lachm. *sub t.* Livinej. *litore sedato* Heins.

v. 35. *orda p. error* Gr. Leid. II, Voss. III, B. II, sed *error* in marg.

v. 37. *pueros matri* Leid. II, Voss. IV, Ask. O. 2, et superscr. in Voss. III.

v. 41. *Parca* Voss. B. I, M, Borr. *Parta* Regg. Colbb. O. 2, B. II, Vat. V. *cruentatur* M, Borr. Voss. IV, O. I, B. I. *cruentabat Zethus* Vat. V. *porta* Voss. IV. *laeti* Voss. I, IV. *cruentantur, Zethi* cet. Livinej. *Zetho* Beroald. et Guyet. *Zethus* pr. Heynius ad Virgil. ecl. II, 23. *cruentantur late* Schrader. Em. p. 163. *laetum victorque c.* Eldikius. *cruent. leto* Lachm.

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
  Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet auris:
  Te solam et lignis funeris ustus amem.

ELEGIA XV.

DE IMPERIO AMICAE.

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae:
  Tibure me nulla jussit adesse mora.
Candida qua geminas ostendunt culmina turris,
  Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
  Ut timeam audacis in mea membra manus?
At, si haec distulero nostro mandata timore,
  Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
  In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantis.
  Scironis medias his licet ire vias.

---

v. 45. *concinet* Voss. IV. *conciet* B. II. *artes* Leid. *iras* conj. Markl.

ELEG. XV.

v. 2. *nulla* Dresd. Francii duo M, rec. Broukh. vulg. *missa* cett. codd. edd. vett.

v. 4. *nympha* Reg. Colb. II, (primus hic desinit) edd. pr. vulg. *lympha* cett. codd. edd. Ald. cet. Lachm.

v. 6. *Aut t.* Dresd. *Et timeam* Guyetus. *Cum* vel *Qui* vel *Nec* Heins. *An — in mea fata —?* Burm.

v. 7. *distulero haec* Lachm. e Neap. *haec dist.* vulg.

v. 9. *Peccarim* Guyet. *peccarem* nonnullae editt.

v. 12. *media scilicet ire via* Neap. Ask. Voss. I, IV, O. 2, duo Palatt. Gebh. Guarn. Lachm. *sic licet* Perrej. Vat. I, II. *sim licet ipse* Heinsian. *si licet ire* cett. codd. edd. vett. *media, si libet, ire via* vel *medias his li-*

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris;
  Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter: demonstrant astra salebras;
  Ipse Amor accensas praecutit ante facis.
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes.
  Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
  Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quodsi certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
  Ornabit custos ad mea busta sedens.
Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis vallatus arenae.
  Non juvat in media nomen habere via.

---

cet ire vias em. Heins. rec. hoc Broukh. vulg.

v. 14. *deo ut noceat* Borr. Ask. Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. 2.

v. 15. *ministrat equis* e Reg. vulg. *m. iter* codd. edd. vett. Lachm.

v. 16. *excutit* Vat. V. *pertulit* Guarn. *percutit* cett. codd. edd. vett. *praecutit* em. N. Heins. Markl. Guyet.

v. 20. *Et cursus fit comes* Lachm. *in cursu* Broukh. *sit* M, B. I, a m. pr.

v. 22. *Tali mors pretio* Vat. V, Leid. Ald. Mureti pr. Markl. Valcken. Burm. *Tali m. spatio* M.

v. 23. *haec* Guyet. Lachm. v. deest in Neap.

v. 25. *nec terra* Regg. Borr. Ask. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 1, Dresd. ed. Ven. 1475, Brix. Reg. Lep. Volsc.

v. 29. *humer* O. II, v. c. Fruterii et Passerat. Leid. II, Vat. V, Neap. (qui *humeri* ut Dresd.) Palat. Gebh. ed. Parisina aliae. *humor* B. 2. *cumulis* iidem libri exc. O. II, B. I. *tumulus* Reg. H, Comel. Guarn. M, Gr. Voss. III, Guyet. qui *humet, cumulus* Voss. IV, O. 2, edd. pr. *humet — tumulus* vulg. *humer — cumulis* conj. Burm. rec. Lachm.

ELEGIA XVI.

AD BACCHUM.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
 Da mihi bacchato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
 Curarumque tuo fit medicina mero;
Per te junguntur, per te solvuntur amantes.
 Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
 Lyncibus ad coelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignis,
 Funera sanabunt aut tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantis,
 Spesque, timorque animum versat utroque meum.
Quodsi, Bacche, tuis per fervida tempora donis,
 Arcessitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vitis, pangamque ex ordine collis,
 Quos carpant nullae, me vigilante, ferae,

ELEG. XVI.

v. 2. *bacchato* M, vulg. *baccato* Gr. *paccato* Guarn. *pacato* cett. codd. edd. vett.

v. 3. *componere* Ask. Palatt. Comel. *curas* Ask. *fluctus* Passeratii lib.

v. 7. *amoris* p. *in astris* conj. Burm.

v. 8. *ad coelum* Regg. Colbb. M, Neap. Gr. Ask. Voss. I, IV, O. 2, B. 2, edd. pr. Lachm. *in coelum* vulg.

v. 10. *ut t. vina* Comel. Dresd. ed. Volsc. 1488. *aut* cett. ut videtur codd. ed. Volsci 1482. *vel* edd. fere omnes.

v. 12. *animo* Colb. Leid. Voss. I, IV, O. I, B. 2, Dresd. *animum* Voss. II, O. II. * *utrumque* id. *Spesque timor qui animum versat uterque modo* Reg. *animo versat utroque modo* Ask. Dresd. edd. pr. vett. Mirandula et Alb. Eyb. Huschk. ad Tib. I, 8, 64. *utroque modo* Leidd. Voss. 3, O. I, B. 2. *animos* Posth. ap. Livin. Vat. I, et sic Heins. *utroque meo* Bon. *animum vexat utrimque meum* Gr.

v. 14. *Accersitus* codd. edd. vett.

v. 15. *peragamque* M, Gr.

Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
  Et nova pressantis inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te et tua cornua vivam,
  Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
  Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum,
  Pentheos in triplicis funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
  In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
  Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
  Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Levis odorato cervix manabit olivo,
  Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tymbana Thebae;
  Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
  Tundet ad Idaeos cympala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
  Libatum fundens in tua sacra merum.

---

cultas Quas conj. Heins. *s. colles — vites Quas* Guyet. *caules* Burm. maj. ad Calpurn. Ecl. II, 49 pr. Burm. sec.

v. 17. *numerem* p. *spument* Regg. Palatt. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc. Ald. I, Junt. Colin. Brix. *numen* Modii Exc. Dresd. *Num* Neap. *purpuree numeram* Ask.

v. 27. *bene olentia flumina* codd. edd. vett. Lachm. *olenti flumine* em. Scalig. vulg.

v. 30. *Cingat* Comel. *Cingit* Dresd. M, Regg. Voss. IV, O. 2 B. 2, alii edd. pr. *Cinget* ed. Beroald. vulg.

v. 33. *tympana* et *cymbala* in v. 36. Burm. transponenda censet sic ed. Lachm. cf. Wakef. ad. Lucret. II. v. 615.

v. 36. *Fundet* codd. edd. vett. em. Scalig. vulg.

v. 37. *craterque* Borr. B. I, *cratere* Gr. *cratera* Vat. V. *craterae* O. II.

Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
  Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
  Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

ELEGIA XVII.

MORTEM PER SE INEVITABILEM.

Clausus ab umbroso, qua ludit Pontus Averno,
  Fumida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet et Trojae tubicen Misenus arena,
  Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic ubi, mortalis, dextra cum quaereret urbis,
  Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
  Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas,
  Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
  Mater, et amplexum Caesaris esse focos?

---

v. 40. *sonat* M, Gr. Voss. Ask. B. I, O. II, a m. pr. *tonat* superscr.

ELEG. XVII.

v. 1. *Plausus* Exc. Voss. IV, Palat. Gebh. rec. Scalig. et Broukh.

v. 2. *Humida* codd. edd. vett. em. Scalig. vulg..

v. 5. *mortalis* Vat. I, V, B. II, edd. pr. pr. Passerat. et Guyet. rec. Lachm. *mortali dextra* conj. Schrader. pr. Burm. *Hic ubi Marte Italos dextro* N. Heins. *mortales* codd. vulg.

v. 9. *Bis pressus* M, Vat. I, Exc. Borr. Gr. Ask. Voss. 3, O. 2, Palatt. Comel. Guarn. edd. pr. *Is pr.* ed. Volsc. *demisit* Vat. V, Borr. Gr. Voss. 3, O. 2, B. 2, Dresd. edd. pr.

v. 12. *amplexos* Exc. unde *amplexo* em. Scalig. vulg. *amplexum* codd. edd. vett. Lachm.

Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent;
Attalicas supera vestis, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis.
Sed tamen huc omnes; huc primus, et ultimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, et aere:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae,
Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

---

v. 21. *hoc omnes* Regg. Colb. Neap. Gr. Leid. II, Voss. I, Ask. O. I, B. II, edd. pr. Lachm. *hic* Voss. III. *huc* a m. sec. B. I. *hic primus* Voss. III. *huc omnes — huc — ordo* vulg. *hoc primus* vel *huc — orto it* Lachm. in annot. conjiciens.

v. 22. *via est* libri pene omnes ed. princ. et aliae Lachm.

v. 27. *Nerea* codd. plerique et edd. pr. *Achillen* Lachm.

v. 29 et 30. vulgo II, 7, 78. *altus amor* Lachm. e conj.

v. 32. *Huc animae corpus portet* Reg. *in anne* B. I. *At cito — Hac animae* Guyet. *At tu — Huc portes — suae* Markl. *Duc animae, Porthmeu, corpus inane suae* Heins. pr. Burm. praeterea *At tu* corrigens. *Hoc — suae* ed. Lachm. *At tibi n. pias — Huc undae portent c. inane tuae* Hand. cf. Huschk. ad. Tib. IV, 1, 140.

ELEGIA XVIII.

DE INCONTINENTIA MULIERUM.

Objicitur toties a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo,
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci,
Induit abiegnae cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit, patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit Amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus,

ELEG. XVIII.

v. 2. *illa* Franc. I, et sic ed. Burm. invito, ut videtur, Burm.

v. 5. *Sedetur* codd. edd. vett. Lachm. *sedaret* Pal. Gebb. rec. Broukh. vulg. *sedarit* vult Burm.

v. 10. *rapidae* codd. edd. vett. Lachm. *rabidae* O. II, a m. sec. et sic Dousa P. vulg.

v. 12. *abiegnae bovi* edd. pr. et vett. *abiegno bovi* Regg. Fruterii l. Borr. Gr. Ask. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Bon. Guarn. *bovis* Dresd.

v. 19. *Medeam*, *Clytemnestram Teque o Minoa* Guyet. *Quidve Clytaemnestra* Lachm.

Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
 Tondens purpurea regna paterna coma?
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti?
 Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
 Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
 Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

ELEGIA XIX.

AD AMICAM.

Credis eum jam posse tuae meminisse figurae,
 Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus qui lucro potuit mutare puellam!
 Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba:
 Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
 Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
 Fidus ero; in nostros curre, puella, sinus.

---

v. 21 et 22. *Tuque o Minoae — figurae, T. purpuream — comam* conj. Burm. *purpuream comam* etiam Markl. ep. ad D'Orvill. p. 334 ed. Lips.

ELEG. XIX.

v. 4. *Tantisne in lacrimis* codd. vulg. *Tantisne lacrimis* Posth. Comel. *Tantine* vel *Tantisne illecebris* Fruterius. *Tantine in lucris* Gronov. Obs. III, c. 17. rec. Broukh. *Tantine ut lacrimes* Broukh. Markl. Heins. pr. Burm. *Tantisne in l. Afr. grata fuit?* Lachm. e conj.

v. 5. *ubi* p. *tu* Leid. *inania vera* Lachm.

v. 6. *terat* Neap. Borr. Leid. Voss. I, III, O. I, B. I, Dresd. Palatt. edd. pr. *teras* Guarn. Bon. *teret* Voss. IV.

v. 7. *Ait tibi* Neap.

v. 10. *sinus* Borr. B. I. vulg. *toros* cett. codd. edd. vett. Lachm.

ELEGIA XX.

Nox mihi prima venit; primae data tempora noctis:
  Longius in primo, Luna, morare toro.
Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignis,
  Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
Foedera sunt ponenda prius, signandaque jura,
  Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignora signo;
  Testis sidereae tota corona deae,
Quam multae ante meis cedant sermonibus horae,
  Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
  Non habet ultores nox vigilanda deos,
Et, quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
  Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui pactas in foedera ruperit aras,
  Pollueritque novo sacra marita toro,

ELEG. XX.

Superiori haec elegia annectitur in codd. et edd. vett. separavit Scalig. vulg. in iisd. codd. et edd. vett. secundum distichon priori et quintum quarto praeponitur. Commutavit id. Scalig. vulg. sic et Guarn.

v. 1. *date* Neap. Exc. Ask. Voss. I, III, O. 2, B. 2, Lachm.

v. 3. *Tuque o* Lachm. e conj.

v. 5. *condenda* conj. Heins. *pangenda* Burm. ante hoc distichon ap. Lachm. v. 7 et 8 ed. Burm.

v. 7 et 8. a Scaligero et in vulg. post v. 9 et 10. ap. Lachm. post. v. 6. *constringet* cod. Heins. Gr. vulg. *constringit* Dresd. Neap. edd. vett. *confringet* cett. codd. edd. pr.

v. 8. *Testis* et *torta* codd. edd. vett. *tota* cod. Passerat. *Testes* vulg.

v. 9. *cedant* M. *cedent* codd. edd. pr. Lachm.

v. 11. *vincetur* Neap.

v. 13. *nox* codd. edd. vett. *mox* Colot. Vat. I, V, vulg.

v. 14. *omnia* codd. edd. vett. *omina* Perrej. Vat. I, II, Heins.

v. 15. *pactas* codd. edd. vett. Lachm. *actas* Posth. *tactas* cod. Passer. rec. Broukh. vulg. *in foedere* Voss. IV. et sic Broukh.

Illi sint, quicunque solent in amore dolores,
  Et caput argutae praebeat historiae,
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
  Semper amet, fructu semper amoris egens.

ELEGIA XXI.

AD CYNTHIAM.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
  Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae.
  Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari
  Possit; at ex omni me premit ille deus.
[Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit;
  Seu venit, extremo dormit amicta toro.]
Unum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris
  Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices,
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
  Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres, et vos valeatis amici,
  Qualiscunque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes,
  Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechaeo
  Sedarit placida vela phaselus aqua:

---

v. 19. *patefactae nocte fenestrae* Gr.

ELEG. XXI.

v. 6. *et* Gr. et alii libri.

v. 8. *amica* codd. edd. vett. em. Scalig. vulg.

v. 11. *in aequore* codd. *navim* Cujacian. Heins. Leid. II, Voss. III, IV, O. II, Gr. Vat. Livin.

Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
[Illic vel stadiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, dux Epicure, tuis;
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales;
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus;
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.]

ELEGIA XXII.

AD TULLUM.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;

---

v. 21. *sufferre* Neap. Ask. Voss. IV, O. 2, B. I, Dresd. *sufferre — properare* Gr. *properare* v. c. Fruterii, Voss. I. *Quod superest, sufferre, pedes, properate laborum* vel *Qui superest, sufferre* Lachm. in annot.

v. 22. *utrinque* vel *utrimque* Voss. IV, Gr. Borr. O. II, edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph.

v. 23. *mea lintea* Gr. Pal. Gebh. rec. Broukh. vulg. *me litora* cett. codd. edd. vett.

v. 25 et 26. Lachm. uncis incl. *studiis* codd. edd. vett. *stadiis* Broukh. conj. vulg. *Spatiis* id. conj. pr. Fonteinio et Huschk. *docte Epicure* codd. edd. vett. *dux Ep.* Broukh. e conj. vulg.

v. 32. *tacito sinu* codd. edd. rec. Lachm. pr. Huschk. ep. ad Santen. p. 76. *t. situ* e D. Heinsii conj. vulg.

Dindymus, et sacrae fabricata juvenca Cybebae,
   Raptorisque tulit qua via Ditis equos,
Si te forte juvant Helles, Athamantidos urbes,
   Nec desiderio, Tulle, movere meo.
Tu licet adspicias coelum omne Atlanta gerentem,
   Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa
   Herculis Antaeique Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
   Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
(Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
   In faciem prorae pinus adacta novae)
Et si qua Ortygii visenda est ora Caystri,
   Et qua septenas temperat unda vias:

ELEG. XXII.

v. 3. *sacra fabricata inventa* codd. edd. vett. pr. Scalig. *invecta* Exc. *Dindyma qua Argivu* v. c. Perrej. *Dindyma qua Argivam fabricata juventa Cybele est* Vat. II. vulg. restituit Vossius ad Catull. p. 161. a codd. Meadii eam confirmari testatur Wassius ad Thucydid. p. 676. *Cybebes* Lachm. *Cibele* Neap.

v. 4. *quae via* edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. pr. Guyet.

v. 6. *Nec* Gr. Colot. Vat. I, V. *Et* cett. codd. edd. pr.

v. 8. *Tactaque* Heins. *Sertaque* Leid. *Tectaque* B. I.

v. 9. *Geryonae* Reg. Colb. edd. pr. vulg. *Geryonis* cett. codd.

v. 15. *Et si qua Ogygiae* Reg. *At si qua Origiae* Reg. II. *orige* Burm. 2, Ask. edd. pr. *Si qua orige* Bon. *Et si qu[a] orige* Posth. (*Et qua Origa[e]* Gr. teste Burm.) Palatt. Cujac. *origa* Comel. *At si qua Orig[ae]* ed. princ. *Et qua Origae* Perrej. Vat. II, Exc. M, Borr. (in his duobus et Heins. *si* additur teste Broukh.) Dresd. Leid. Voss. 3, O. 2. *Et si qua Origi* Vat. I. *Si quane Lygaei* vel *Si quave Gygaei* (sic Domitius Calderinus) vel *Si quave olorigeri* alii Vaticani. *Et qua Gygei* edd. Aldd. Junt. Colin. Gryph. aliae. *Gygaei* ed. Brix. 1486. *Et si quadrigae visenda est ora Caystri* em. Scalig. *Et si quadrijugi* Guyet. *Quave Ephiraei* vel *Aut qua Smyrnaei* vel *Si qua et olorigeri* vel *Si qua et cycnei* Heins. *cycnei Cay-*

Omnia Romanae cedent miracula terrae.
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam, quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis limpha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis;
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes,
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
Nec solvit Danaas subdita cerva ratis;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove,

---

stri Lipsius Var. Lect. I, 2, pr. Spanh. ad Callim. H. in Dianam v. 257. *Et si qua Phrygii* Vossius ad Catull. p. 108. *Et si qua Ortygii* id. ad Pompon. Melam. p. 18. vulg. *Et si, qua Ortygiae* Lachm.

v. 22. *illa* Vat. V, Borr. Leid. II, Ask. pr. Lips. rec. Burm. *ira* cett. codd. et edd. omnes.

v. 25. *Albanus lacus et socii* Regg. Leid. Voss. 3, O. I, B. 2. edd. pr. *Albanus lacus at socii* Ask. *Albanusque lacus socia* Perrej. Colot. Vat. I, V. *Albanusque lacus socii* Cujac. vulg. *Albani locus* Vat. Dresd. *Albanus lacus et sociá* ed. Ven. ap. Bahrdt. et sic Francius, ed. Lachm.

v. 26. *lympha* codd. edd. vett. Lachm. *nympha* ed. Scalig. vulg.

v. 27. *lambuntur* Guarn. Colb. M, Voss. B. II, ed. Ven. I, Reg. Lep.

v. 28. *fluit unda* Perrej. *fuit ora* Ferrarii l. *fuit unda* Neap. Guarn. *furit unda* Scalig. e suo l. vulg. *fuit una* cett. codd. edd. vett.

v. 30. *fugisve* p. *fugate* Fea ad. Hor. ep. II, 2, 204 e ll.

v. 35 et 36. abest hoc distichon ab O. I, Burm. idem trans-

Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Grajis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes;
Hic tibi pro digna gente petendus honos;
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae conjugis aptus amor.

ELEGIA XXIII.

DE TABULIS PERDITIS.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illae jam sine me norant placare puellam,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum;
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis;
Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.

---

ponere vult fin. l. II, 21 p. v. 20 vel ejusd. l. el. 24 post v. 14. ed. suae. *non valuit* Gr. Leidd. Voss. I, III, Guarn. *bovi* omnes libri.

v. 37. *Arboreasve* Lachm. *senis* plerique codd.

v. 38. *Saxaque curvantes* Guarn. Borr. Voss. I, O, B. I.

v. 40. *Hinc t.* Markl. et Puccius.

ELEG. XXIII.

v. 5. *puellam* Voss. IV, O. II, Burm. Lachm. *puellas* cett.

v. 10. *effectus pr. suos* Voss. pr. Burm.

v. 11. *fuerint* Neap. et sic Heins. conj.

An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
  Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit: Venies hodie, cessabimus una;
  Hospitium tota nocte paravit Amor.
Et quaecunque volens reperit non stulta puella,
  Garrula cum blandis ducitur hora dolis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
  Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
  Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer et citus haec aliqua propone columna,
  Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

ELEGIA XXIV.

AD CYNTHIAM SUPERBIENTEM.

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
  Olim oculis nimium facta superba meis,
Noster amor talis tribuit tibi, Cynthia, laudes;
  Versibus insignem te pudet esse meis.

---

v. 14. *Non bona* codd. edd. vett. exceptis Brix. ac. Ven. in quibus *bene* ut em. Heins.

v. 15. *dixti* Reg. Vat. I, edd. pr. *dixi* Neap. Colb. Ask. Dresd. Leid. Voss. I, IV, O. I, B. 2. *Haud dixi* Guyet. *Venies* Reg. Colb. Borr. Gr. Leidd. Voss. 8, O. 2, B. 2, Guarn. Dresd. edd. pr. Lachm. *Venias* vulg.

v. 17 et 18. *dolens* codd. edd. vett. *volens* em. Broukh. vulg. *quodcumque doli reperit* Heins. in seq. v. *jocis* p. *dolis* e suo cod. reponens et sic Perrej. Vat. I, II. *dicitur* Gr. pr. Schrader. Em. p. 164. rec. Lachm.

v. 19. *avari* Leidd. Voss. 8, Ask. O. 2, B. 2, Dresd. edd. vett.

v. 20. *dias* v. c. Fruter. Vat. V, Borr. Ask. Leidd. Voss. 8, O. 2, B. 2. *diras* Vat. Palatt. Comel. Guarn.

v. 22. *signa* codd. em. Beroald. vulg.

ELEG. XXIV.

v. 2. *Tuis* p. *meis* conj. Burm.

Mixtam te varia laudavi saepe figura,
  Ut, quod non esses, esse putaret amor,
Et color est toties roseo collatus Eoo,
  Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
  Eluere aut vasto Thessala saga mari,
Haec ego non ferro, non igne coactus, et ipsa
  Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno;
  Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
  Trajectae Syrtes, ancora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
  Vulnera que ad sanum nunc coiëre mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
  Exciderint surdo tot mea vota Jovi.
Risus eram positis inter convivia mensis,
  Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
  Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis; ista sum captus ab arte.
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.

---

v. 12. *verba* codd. edd. pr. *vera* em. Livin. Passerat. Guyet. vulg. *fatebor* v. c. Fruterii, Regg. Colb. Ask. Borr. Gr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. I, edd. pr. aliaeque.

v. 18. *Vulnera et ad saniem* Gr. rec. Broukh.

v. 19. *sacraria dono* codd. edd. vett. Lachm. *condo* em. Heins. vulg. *pono* Markl. *Deo est* Dresd. Regg. Neap. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, edd. pr. *deo ē* Guarn.

v. 20. *Exciderant* iidem codd. et Vat. Posth. Bon. (non tamen Guarn.) *Exciderent* edd. pr. *Exciderunt* in aliis. *Exciderint* em. Livinej. vulg.

v. 21. Ab hoc v. nova elegia in codd. edd. pr. Conjuncti cum superioribus hi vv. in Perrej. ed. Volsci Ald. I, Junt. Colin. Scalig. vulg.

Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit;
  Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis,
  Nec tamen irata janua fracta manu.
At te celatis aetas gravis urgeat annis,
  Et veniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
  Ah speculo rugas increpitante tibi,
Exclusa inque vicem fastus patiere superbos,
  Et, quae fecisti, facta quereris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
  Eventum formae disce timere tuae.

---

v. 28. *ire jugum* c. Fruterii, Vat. II, V, Gr. Exc. Heins. Bon. Guarn. vulg. *esse jugum* cett. codd. edd. vett.

v. 29. *nostris halantia sertis* conj. Heins. *jam lacrimis valeant manantia nostris* Burm.

v. 33. *cupias* Vatic. Livin. Bon. Dresd. Leidd. Voss. III, IV, O. 2, B. II, rec. Lachm. *capias* Neap. Colb. *cupies* cett. codd. vulg. *cum* c. Colb. Leid. Voss. IV, Dresd. *tunc* Borr. B. I.

v. 34. *A speculo* Regg. Cujac. Ask. Leid. edd. pr. et Aldd. Colin. cet. *Ah sp.* Scalig. (?) Leid. II, Voss. III, O. 2, B. 2, Lachm. *Et sp.* Borr. lib. Beroald. vulg. *E sp.* Colot. Vat. I. *At* vel *sed sp.* Burm.

v. 35. *inque vices* Leid. II, Voss. I, III, O. I, B. I, Guarn. *patiare* codd. edd. vett. Lachm. *patiere* vulg.

v. 36. *quereris* codd. edd. vett. Lachm. *quereris* vulg.

SEXTI AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER IV.

ELEGIA I.
DE URBE ROMA.

Hoc, quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit;
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.

ELEG. I.

v. 1. *qua m.* Voss. et sic em. Scioppius Dousa P. alii vulg. *Quam m.* vel *Quae* cett. codd. edd. vett.

v. 2. *Aenean* Bon. Gr. pr. Broukh. rec. Lachm. *Aeneam* vulg.

v. 4. *procubuere* Vat. V, ed. Ald. II, Rovill. Gryph. vulg. *concubuere* codd. edd. pr. Lachm.

v. 9. *Qua gradibus domus ista Remi se sustulit: olim* Lachm. e Pal. I, Vat. V.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
  Centum illi in prato saepe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
  Pulpita solennis non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
  Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
  Ducebant macrae vilia sacra boves,
Parva saginati lustrabant compita porci;
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
  Miscebant usta proelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo,
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter ovis.
Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni;
  Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
  Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi;

---

v. 14. *erant* codd. edd. vett. Lachm. *erat* vulg.

v. 18. *fremeret* M, Gr.

v. 19. *Annua at* Lachm. in annot.

v. 20. *curvo* multi codd. et edd. pr. *curto* ed. Volscus.

v. 23. *Pauca saginati* Lachm. e conj.

v. 25. *Vellera* Vat. V, et sic Heins. *Ubera* Dresd.

v. 29. *Ligmon* et *Lygmon* codd. edd. pr. *Lucmon* Colot. Comel. *Lucmo* em. Scalig. vulg.

v. 31. *Ticines* Gr. *Ticiens* B. 2. Dresd. *Titiens* edd. pr. *Tatiens* Leid. II, O. I, ed. Gryph. *Taciens* ed. Beroald.

v. 33. *Violae* codd. pene omnes. *Bovillae* Dresd. vulg. *parvae* nonnulli pr. Passerat. *suburbanae, parva metus urbe, Bovillae* Elect. Etonens. edit. p. 163. *parva eminus urbe* Lachm. e conj.

v. 34. *Gabii* vulg.

Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, Penatis.
  O quali vecta est Dardana puppis ave!
Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati tremulus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojae,
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos;
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
  Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
  Longaevum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai! male vincitis. Ilia tellus
  Vivet, et huic cineri Juppiter arma dabit.
Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!

---

v. 36. *vias* Leidd. Voss. 3, Gr. O. 2, B. 2, Bon. Comel. Pal. I, Dresd. Ask. edd. vett. Lachm. *via* a Scalig. vulg. *isse* Pal. I, Perrej. Vat. II, V, Neap. Leid. II, Voss. III, IV, Ask. *iste* Bon. *ipse* Guarn. Comel. Voss. I, Colb. Borr.

v. 38. *non p.* codd. fere omnes edd. pr. ed. Lachm. *putet* Reg. Colb. Voss. I, IV, B. II, Comel. Guarn. Palat. II. *num pudet* conj. Burm.

v. 40. *ducta* Regg. Colb. edd. nonnullae vulg. *vecta* cett. codd. ed. princ. atque aliae Lachm.

v. 41. *illos* Lachm. e Schraderi conj.

v. 45. *Deci* omnes fere libri. Lachm. *Decii* vulg.

v. 54. *Vincet* Leid. II, Voss. III, ed. Scalig.

Moenia namque pio conor disponere versu.
  Heu mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcunque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua;
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
  Umbria, Romani patria Callimachi.
Scandentis si quis cernet de vallibus arcis,
  Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus. date candida, cives
  Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam, et cognomina prisca locorum;
  Has meus ad metas sudet oportet equus.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
  Non sunt ah dextro condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
  Poscitur invita verba pigenda lyra.

---

v. 57. *numne coner* Perrej. Colot. Vat. sec. *coner* omnes codd. *conor* vulg. *disponere* Gr. Leid. sec. Voss. 3, O. 2, Burm. II, Regg. Colb. Bon. Guarn. Dresd. edd. vett. Lachm. *describere* M, Comel. Heins. vulg.

v. 58. *nostro est* Leidd. Voss. tres, Ask. O. 2, B. 2, edd. omnes ante Broukh. cf. Huschk. ad Tibull. II, 1, 46. *est* omittitur vulg. Lachm.

v. 60. *serviet* Reg. Neap. Leidd. Voss. 3, O. 1, B. II, ed. Paris. Morelli.

v. 70. Post h. v. legitur in vulgg. distichon quod codd. et Lachm. habent post v. 86. (apud Burm. vitiose 108.)

v. 71. *impudens* Reg. *vage discere sacra* Reg. Perrej. Colott. Vat. pr. et sec. Colb. O. I. *vage dicere fata* Neap. Guarn. Borr. ed. Lachm. *vaga dicere verba* Leid. Reg. sec. Bon. *vaga d. fata* cod. Fruterii, Leid. sec. Voss. pr. et tert. O. II, Burm. 2. *facta* Voss. quart. a m. sec. *vaga d. facta* e Heins. conj. vulg.

v. 72. *Non sunt a dextro c. fata c.* Hand. ad. Stat. Silv. I, 2, 24. *a* codd. dextra vulg.

v. 73 et 74. *Accersis lacrimis cantas* Neap. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. I, Pal. II, Bon. Dresd. *lacrimas* Neap. B. I. *cantus* Leid. Neap. Guarn. *Ar-*

Certa feram certis auctoribus, aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Archytae suboles Babylonius Horops,
Horon et a pravo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
Juppiter, obliquae signa iterata rotae.

---

cessis lacrimis cantus adversus Gr. et Ask. *lacrimas* Ask. *Accensis lacrimis cartas* Pal. I. *Accersis l. charitas* Comel. *Accersis l. charites* Cujac. *Charites* Leid. II. *Accersis lacrimis cantus, adversus A.* vett. edd. *Adversis Musis cantas* em. Beroald. *Aversis Musis cantas, aversus A. est* Perrej. Colot. Vat. I, II, lib. Bibl. Bodlej. *Adversis Musis charites aversus A.* Vat. V. *cantus* Vat. II. *adversus A.* O. 2, B. II, Palatt. ed. Brix. Ven. Ald. I, Colin. *Aversis Charisin cantas: aversus Apollo Poscitur* em. Heins. vulg. *Poscis ab invita* codd. edd. vett. *Poscit et* Ask. O. II. *Poscis et* Pal. membr.
Arcessis Latium, cantas: aversus Apollo,
Poscis ab invita verba pigenda lyra. ed. Lachm.

v. 75. *haud ego* Dresd. Colot. Vat. I, II, V, Leid. II, Voss. III, O. II, ed. Beroald. Colin. Rovill. Mureti Canter. Ven. Volscus in annot. aliae. pr. Fea ad Horat. A. P. v. 42 e codd. *aut pr.* Forcellin. s. v.

v. 77. *Orobs* Borr. *Ores* Colot. Vat. I. *heros* Neap. a m. sec. *Orops* Regg. Gr. M, Heins. Palatt. Guarn. edd. pr. *Herops* Harlej. Ask. *Herops*, *horops* vel *Orops* Leidd. Voss. I, III, IV, O. II, B. 2. *Horos* vulg. *Horops* ed. Lachm.

v. 78. *Oron et* Reg. ed. Brix. Ven. *Horon et* Leid. Voss. I, IV, O. II, v. c. Fruterii Guarn. Dresd. Aldd. pr. Markl. rec. Lachm. *Oron* Gr. Borr. *Herops* Leid. II, Voss. III, a m. sec. *Heron* id. a m. pr. *Oron et* Colot. Vat. V. *Horon, et* vel *Heroum a proavo* conj. Heins. *Horos* vulg.

v. 79. *sint* Borr. Cornel Voss. I, Guarn. *propinquis* edd. pr. (excepta princ.)

v. 81. *In pretium* Borr. O. I, B. II, ed. Beroald. Ven.

v. 82. *Juppiter. obliquae signa iteranda rotae* conj. Burm.

Felicesque Jovis stellae, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dicam: Troja cades, et Troïa Roma resurges;
Et maris, et terrae longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante deo)
Non posse ad patrios sua pila referre Penatis:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae!
Vera, sed invito contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit; libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos:

---

v. 83—86. in vulgg. 105—8. *stellae* em. Scalig. vulg. *stellas* codd. edd. vett. Lachm.

v. 85. *moneant* Voss. III, IV, B. II, Vat. Passeratii libri ed. Beroald. et sic Livinej. et Guyet.

v. 88. (71, 72.) *longa pericla canam* e suo cod. emend. Heins. vulg. *sepulcra* codd. edd. praeter. Burm. omnes. cf. Huschk. Anal. crit.

v. 93. *eques dum* conj. Heins. et Markl. pr. Burm.

v. 96. *signa cruenta* Borr. Gr. Leid. II, Guarn. Voss. I, IV. et III. p. v. l. B. I, rec. Lachm. *rostra cr.* vulg.

v. 98. *invitae* conj. Heins. pr. Burm. *constitit* Burm. conj.

v. 101. *Junonis facite votum* Guarn. Dresd. M, Voss. I, IV, O. 2, B. 2. *Junonis* Reg. Ask. edd. vett. *Junoni votum facito* conj. Burm. *Junonis facito votum* Lachm. in annot.

v. 103. *Libyci Jovis* Reg. Leid. II, Voss. III, ed. Ald. II, Rovill. cet. *Libie* Neap. *libiae*

Aut si quis motas cornicis senserit alas;
Umbra neque haec magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est coeli, versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene haerentis ad pia saxa rates;
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, et Euboïcos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignis,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oïlide, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.

Guarn. *Libyae* Leidd. Voss. 4, Gr. Borr. ed. Ald. I, Junt. Colin. vulg. *Libyos Jovis explicet* vel *arenoso Libye Jovis explicet antro* conj. Heins.

v. 105. *senserat* Gr. Voss. I, Guarn.

v. 106. *Umbraque ne magicis* Colb. Leid. B. II. *Umbra neque et m.* Perrej. *et* om. Guarn. *Umbraque nec magicis* Reg. Dresd. O. I, ed. Muret. aliae. *Umbra neque a magicis* O. II. *Umbra neque e m.* Vat. I, II. *U. nec haec* Vat. V. *U. nec in* Borr. *U. neque in* Vat. Posth. Pal. papyr. Comel. *Umbrane quae* Neap. *Umbrave quae magicis* em. Turneb. Livinej. Guyet. rec. Lachm. *Umbra neque haec* vulg. *Umbra nec e* Ferrarii I.

v. 107. *verusque p. astra* M, Borr. Colb. Ask. Voss. 3, O. 2, B. 2, Guarn. rec. Lachm. *versusque* cett. codd. vulg. *ursusque* Leid. II, unde *sursusque* conj. Heins.

v. 116. *suis* codd. ut videtur omnes et edd. pr. Lachm. *tuis* vulg.

v. 117. *Oliade* vel *Oil. victor* Gr. *Oiliade* Neap. *Victor hiliace* Guarn. *V. Oiliade* Dresd. *O Iliade* cett. codd. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsci. *Oilide* et Beroald. Aldd. Junt. cet. *Iliade victor* Lachm.

v. 118. *sede* p. *veste* Perrej. Colot. Vat. I, II, Passeratii et Cantabrig. edit. libri. *aede* libri Passeratii et Heinsii.

Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra.
  Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit.
  Mentior? an patriae tangitur ora tuae,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo?
Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
  Patris, et in tenuis cogeris ipse Laris.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
  Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus; haec tua castra:
  Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
  Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victricis, quascunque labore parasti,
  Eludet palmas una puella tuas,

---

v. 119. *devehar* Regg. Colb. Gr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Guarn. Dresd. edd. pr. Lachm. *devear* Neap. Bon. *devehor* vulg.

v. 120. *adesse tuis* em. Markl. pr. Burm.

v. 123. *Quam* B. 2, Reg. ed. princ. pr. Heins.

v. 125. *axis* vel *asis* codd. edd. pr. *Scandentique altus* Perrej. Vat. I, Ms. Metelli et Vossii.

v. 131. *demissa* plerique codd. edd. vett.

v. 135. *At tu* Colot. Vat. I, II, Comel. Palatt. vulg. *Aut* Gr. *Ac et et* alii libri. *pellax opus* conj. Heins. pr. Lachm.

v. 139. *Jam tibi* Perrej. Vat. I.

v. 140. *Eludet* Dresd. vulg. *Eludit* et *eludat* Regg. *eludat* edd. vett. *eludit* codd. *Elidet* Vat. V.

Et bene cum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis;
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

ELEGIA II.

VERTUMNUS.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego et Tuscis orior: nec poenitet inter
Proelia Volsanos deseruisse focos.
Haec me turba juvat; nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; et ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.

---

v. 141. *confixum* codd. *Ut bene* Colot. Vat. I, V, ed. Vicent. 1481. *merito* p. *mento* Exc. Borr. Voss. I, III, Guarn. Dresd. B. 2, O. II, (superscr. *mento*) edd. pr. *Cum fixum* Beroald. ed. 1487. *discusseris* multi libri.

v. 142. *Nil premit hoc* Leid. O, B. II. *haec* v. c. Fruterii Vat. I. *nostro te premat ausa* Ask. Gr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Guarn. Neap. (qui et tuo). *nostro premit* Dresd. *premit* Regg. et p. v. l. *premat* ut in Borr. *premat* O. II. *voto te premet ausa suo* Pocchus.

v. 146. *prima* codd. edd. pr. em. Beroald. vulg.

ELEG. II.

v. 3. *a Tuscis o.* Vat. I. *et Tuscis* Ask. Gr. O. II, Pal. II, Dresd. rec. Burm. vulg. *et* abest a cett. libris et plerisq. edd.

At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulcis cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index.
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcunque voles, verte: decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella;
Atque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno:
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis;
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad litis: at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi;
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.

---

v. 11. *praecepimus* v. c. Fruterii, M, Leid. B. II, Voss. ed. princ. vulg. *percepimus* cett. codd. edd. pr. *praecerpimus* e codd. Fea ad Horat. ep. I, 20, 5. *praecerpsimus* Heins. et Burm.

v. 12. *creditur* Perrej. et Passeratii libri vulg. *credidit* codd. edd. pr. Lachm. *vulgus* p. *rursus* Mss. Passeratii. *Vertumni fructum credidit* amicus editoris Elect. Eton. *V. rus hunc credidit* ed. El. Eton. *Vertumno fructus creditur esse sacer* Ayrm. *Vertumni rus se credidit* sive *Vertumni Thuscus credidit* Heins.

v. 18. *in vincto* Fea l. l.

v. 19. *falsa es mihi nominis index* Lachm. in annot.

v. 30. *subesse* Gr. Ask. Voss. III.

v. 31. *Achei* omnes fere codd. *Achivi* Regg. edd. pr.

Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta
  Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus et ejus,
  Trajicit alterno qui, leve pondus, equo.
Suppetat hoc, piscis calamo praedabor, et ibo
  Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curvare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est,
  Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
  Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnis,
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
  Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,

---

v. 33. *Cassibus assumtis venor at* Ask. *ast* Reg.

v. 34. *viscoso* p. *plumoso* conj. N. Heins. pr. Burm.

v. 35. *et haelus*, *aelus* vel *elus* p. *ejus* codd. edd. pr.

v. 36. *leve corpus* conj. Schrader. Em. p. 166. Markl. Broukh. (qui tamen rejecit). *alterno qui, leve pondus, equo* Lachm. sine interp. vulg.

v. 37. *Suppetat hic* Heins. et Markl. pr. Burm. et Lachm.

v. 39. *curvare* Vat. I, V, v. c. Passerat. vulg. *curare* cett. codd. edd. vett. *Pastori ad baculum possim certare* Heins. conj. *Pastor ego et baculum possum rurale* Lachm.

v. 40. *Serpiculis* codd. et edd. vett. *Scirpiculis* Colot.

v. 41. *cura est* Borr. Guarn. Gr. vulg. *fama est* codd. edd. vett. Hoc distichon et duo seqq. post v. 18. collocat Schrader. Em. p. 167.

v. 44. *Me necat* B. II. *Me vocat* conj. Burm. *Mi nitet* Lachm. in annot.

v. 46. *Impositus, frontem l. a. meam* Fea ad Hor. ep. I, 20, 5.

v. 48. *Nomen* (vel *Nomina*) *Vertumni patria l. d.* em. Schrader. Em. p. 169. pr. Burm.

Tempore quo sociis venit Lucomonius armis,
  Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentis acies, et tela caduca,
  Atque hostis turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
  Non moror: haec spatiis ultima meta meis:
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
  Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
  Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
  Unum opus est, operi non datur unus honos.

ELEGIA III.

EPISTOLA ARETHUSAE AD LYCOTAM.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
  Cum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
  Haec erit e lacrimis facta litura meis;
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
  Signa meae dextrae jam morientis erunt.

---

v. 51. *Lycomedius* codd. edd. vett. *Lucumonius* ed. Burm. vulg.

v. 54. *Totque hostes* vel *Vidi hostes* Francius. posterius pr. Burm.

v. 58. *meta* Gr. Dresd. edd. vett. post Beroald. et Volsc. *creta et certa* cett. codd. edd. pr. *cura* Pocchus.

ELEG. III.

v. 2. *Ne toties absis* B. I, margo Voss. III. *Cum t. absis qui p.* conj. Burm.

v. 6. *erant* Gr.

Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
  Te modo munito Sericus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
  Ustus et Eoa decolor Indus aqua.
Haecne marita fides? hae pactae sunt mihi noctes,
  Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
  Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnis heu portis pendent mea noxia vota;
  Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas,

---

v. 8. *Hericus* plerique codd. edd. pr. *Beticus* Cujac. *Naricus* et *Noricus* alii em. Beroald. vulg. *Rhaeticus* Tristanus. *Raericus* Ask.

v. 10. *Eoa discolor Indus aqua* codd. edd. vett. *Eoa decolor aqua* Lachm. *Eoo decolor equo* vulg. cf. Huschk. ad. Tib. IV, 2, 20.

v. 11. *hae num pactae mihi noctes* Perrej. Colot. Vat. II. *hae sunt pactae mihi noctes* Leid. II, Voss. III, B. II. *et* p. *hae* cett. codd. omnes, utrumque O. I. *Et parce avia noctes* Neap. *et pacatae mihi noctes* Bon. Palat. Comelin. M. Regg. Colb. Borr. B. I. *et paccatae* Leid. (superscr. *paratae*) Voss. IV, O. II. *et peccatae* Ask. *Et haec sunt pactae mihi noctes* O. I. *et pactae sunt mihi noctes* Reg. II. *et pactae jam mihi noctes* Voss. I, et sic Markl. *et pactene mihi n.* Guarn. *paccate* Dresd. *et pactae sunt mihi noctes* edd. vett. *hae pactae num mihi noctes* Heins. conj. *pactae heu ubi nunc mihi noctes* vel *ubi pactae jam mihi noctes* idem. *Hae pactae a te mihi noctes?* Lachm. in annot. Vulg. a Beroald. et in ed. Vicent.

v. 14. *averso* Cujac. *adverso* Gr. *arsuro* conj. Heins.

v. 17. *mea maxima vota* Leid. *mea pendent anxia vota* libri Passerat. et sic conj. Burm.

v. 20. *aera* p. *ossa* Perrej. Colot. Vat. II, alii ap. Passerat. *ora* Vat. V, O. II.

Dignior, obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi: num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbellis atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse; sed opto
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctis induxit Vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen avis.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus milia currat equus;
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et haec docti sit positura dei;
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallidà nutrix
Dejerat hiberni temporis esse moras.

---

v. 21. *ocno* Dresd. Puccii lib. Neap. *aeno*; *oeno* vel *orno* codd. edd. pr.

v. 28. *iste* codd. edd. vett. pr. Lachm. *ipse* Vatic. Livin. rec. Broukh. vulg.

v. 29. *reduxit* Palatt. Gebh.

v. 34. *in gladios v. secta* codd. *radios* Perrej. Colot. Vat. I, II, codd. Vossii vulg. *texta* codd. Vossii et alii pr. Heins. qui et *pexa* vel *neta* vel *in calathos vellera lecta* voluit. *ducta* em. Broukh. vulg. *radios vellera secta* Lachm. *lecta* pr. Burm.

v. 35 et 36. Hoc distichon sequenti postponitur e Broukh. conj. quam pr. Burm. *equus* codd edd. vett. Lachm. *eques* ed. Scalig. vulg.

v. 38. *doctis sit p. viris* vel *hinc longis — viis* vel *Quave sit hinc longis puppis itura viis* conj. Burm.

v. 41. *callida* em. Heins. rec. Broukh.

v. 42. *Pejerat* codd. edd. vett. Lachm. em. Livin. vulg.

Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiae sarcina fida tuae;
Nec me tardarent Scythiae juga, cum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; sed aperto in conjuge major:
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
  Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent, rarisque assueta kalendis
  Vix aperit clausos una puella Laris.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero,

---

v. 47. *Atlas* p. *altas* Perrej. Vat. II, V, edd. pr. *niger Atlas* Vat. II. *patere* p. *pater* Voss. I. *cum parat altas* Gr. *cum parat altas — nectere aquas* vel *cum patrio altas* Heins. *cum parat altas Arcticus in glaciem nectere ventus aquas* Burm. *cum pater altas Thrascias* Helvetius. *alta Adstrictas glacie frigore* Eldikius. *altas Arctoo in gl.* ed. Lachm.

v. 49. *sed in apto conjuge major* Mss. Passerat. ed. Ven. et Brix. *in apta conjuge* Schrader. Em. p. 171. *Omnis am. magnus, deserta in conjuge m.* Burm. *sed aperte in* vel *sed rapto conjuge* Lachm. in annot.

v. 51. *Poenis te* Neap. *tibi* cett. codd. edd. vett. *si* Heins. conj. vulg.

v. 52. *Crystallusque meas* Neap. Lachm. pr. Burm. *tuas* cett. codd. *suas* ex Heins. et Broukh. em. vulg.

v. 53. *rarisque* codd. edd. vett. Lachm. *rarisque assuta* Ask. *raris adsueta* vulg. *radiis adsueta colisque* Heins. pr. Burm. *lanisque adsueta colendis* Struchtmeyer, Wakker, Schrader.

v. 55. *Graucidos* codd. edd. vett. em. Scalig.

v. 56. *toro* codd. fere omnes et edd. pr.

v. 59. *tecto* p. *tigno* conj.

Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantis hasta sequatur equos,)
Incorrupta mei conserva foedera lecti:
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam: *Salvo grata puella viro.*

ELEGIA IV.

FABULA TARPEJAE.

Tarpejum nemus et Tarpejae turpe sepulcrum
Fabor et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire jubebat ovis.

Burm. pr. Huschk. ep. cr. p. 83 et Lachm.

v. 62. *Succinctaeque* codd. edd. vett. *Succincteque* Guarn. em. Muret. vulg. *cadent* Leidd. Voss. III. *cadunt* O. II. *ad nova sacra* Perrej. Colot. Vat. I, II. *cadent ad tua* Ask. *tua* vel *nova sacra* pr. Burm. hoc distichon post v. 70 collacandum censens.

v. 63. *accensis* multi codd. ed. Brix.

ELEG. IV.

v. 3. *conditus* codd. *consitus* Colot. Vat. I, IV.

v. 4. *Multa ubi* Colot. ed. Paris. Morell. et Rapheleng. *ales* p. *arbor* vel *Motaque* em. Heins.

v. 6. *videbat* Guarn. Borr. Ask. Heins. Voss. I, O. II.

Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiae sarcina fida tuae;
Nec me tardarent Scythiae juga, cum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; sed aperto in conjuge major:
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
  Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent, rarisque assueta kalendis
  Vix aperit clausos una puella Laris.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero,

---

v. 47. *Atlas* p. *altas* Perrej. Vat. II, V, edd. pr. *niger Atlas* Vat. II. *patere* p. *pater* Voss. I. *cum parat altas* Gr. *cum parat altas — nectere aquas* vel *cum patrio altas* Heins. *cum parat altas Arcticus in glaciem nectere ventus aquas* Burm. *cum pater altas Thrascias* Helvetius. *alta Adstrictas glacie frigore* Eldikius. *altas Arctoo in gl.* ed. Lachm.

v. 49. *sed in apto conjuge major* Mss. Passerat. ed. Ven. et Brix. *in apta conjuge* Schrader. Em. p. 171. *Omnis am. magnus, deserta in conjuge m.* Burm. *sed aperte in* vel *sed rapto conjuge* Lachm. in annot.

v. 51. *Poenis te* Neap. *tibi* cett. codd. edd. vett. *si* Heins. conj. vulg.

v. 52. *Crystallusque meas* Neap. Lachm. pr. Burm. *tuas* cett. codd. *suas* ex Heins. et Broukh. em. vulg.

v. 53. *rarisque* codd. edd. vett. Lachm. *rarisque assuta* Ask. *raris adsueta* vulg. *radiis adsueta colisque* Heins. pr. Burm. *lanisque adsueta colendis* Struchtmeyer, Wakker, Schrader.

v. 55. *Graucidos* codd. edd. vett. em. Scalig.

v. 56. *toro* codd. fere omnes et edd. pr.

v. 59. *tecto* p. *tigno* conj.

Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
  Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
  Pura triumphantis hasta sequatur equos,)
Incorrupta mei conserva foedera lecti:
  Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
  Subscribam: *Salvo grata puella viro.*

ELEGIA IV.

FABULA TARPEJAE.

Tarpejum nemus et Tarpejae turpe sepulcrum
  Fabor et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
  Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
  Fistula poturas ire jubebat ovis.

Burm. pr. Huschk. ep. cr. p. 83 et Lachm.

v. 62. *Succinctaeque* codd. edd. vett. *Succincteque* Guarn. em. Muret. vulg. *cadent* Leidd. Voss. III. *cadunt* O. II. *ad nova sacra* Perrej. Colot. Vat. I, II. *cadent ad tua* Ask. *tua* vel *nova sacra* pr. Burm. hoc distichon post v. 70 collacandum censens.

v. 63. *accensis* multi codd. ed. Brix.

ELEG. IV.

v. 3. *conditus* codd. *consitus* Colot. Vat. I, IV.

v. 4. *Multa ubi* Colot. ed. Paris. Morell. et Rapheleng. *ales* p. *arbor* vel *Motaque* em. Heins.

v. 6. *videbat* Guarn. Borr. Ask. Heins. Voss. I, O. II.

Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Jovis,
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est Curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae causata est omina Lunae,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati.

---

v. 7. *praecinxit* Gr. O. II. *montem* conj. Heins.

v. 9 et 10. *tuba cum v. C. concuteret* Fea ad Hor. ep. I, 10, 31.

v. 13. *erat* M. *fontes* Borr. Heins. *Murus erat fons hic* Colot. Vat. I. *Purus erat fons hic* Passerat. *ubi nunc est Curia, septa* J. Castalio. *Murus erant montes, ubi nunc est Curia, septem* D. Heins. *Purus erat fons hic, ubi nunc est Curia, Vestae* vel potius *Purus erat fons hic; ubi nunc est Curia, saepe.* N. Heins.

v. 17 et 18. Hoc distichon a Broukh. positum est post v. 90 et sic vulg. Hoc loco codd. edd. vett. Lachm. *Haud satis* Perrej. Colot. Vat. I, II. *Ei scelus! urna malae potuit sors esse puellae* Lachm. in annot.

v. 19. *praeludere* Perrej. Exc. p. v. l. *perludere* nonnulli codd. et edd.

v. 23. *lumina Lunae* Gr. Palat. Gebh. Pontani l. ap. Perrej. Exc. Vat. I, II, Ask. Leid. II, Voss. III, O. II. *crimina* M. *omnia* B. 2, edd. pr.

v. 24. *tinguendas finxit* Pontani cod. Vat. I, II, pr. Heins. et Burm.

Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
  Retulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
  Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
  Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penatis,
  Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes, et montibus addita Roma,
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos
  Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
  Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
  Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignis,
  Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
  Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est et perfida; quippe tacentis
  Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
  Haec quoque formoso lingua tulisset opem.

---

v. 34. *conspicer esse T.* Leid. B, O. II, B. II, Pal. Gebb. Dresd. edd. pr. *conspicor esse* M, Bon. *suspicor esse* Pal. Gebb. *Arma Tati* Gr. Borr. Voss. I, III, B. I, Exc. p. v. l. Guarn. Vat. Comel. em. Gronov. Obss. IV, 6. vulg.

v. 35. *abdita* Gr. O. 2, Dresd. ed. Beroald.

v. 48. *Tu cape* codd. edd. vett. *cave* Bon. vulg. *rosida* Regg. edd. pr. *roscida* edd. Aldd. cett.

v. 51. *certamina* O. II, Pal. Gebb. *cantamina Lunae* Voss. III. *magne* Neap. *O utinam sagae nossem cantamina Marsae!* Burm.

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Sic hospes pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus, at, raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere; nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaeë modos; tubicen fera murmura conde;
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsa in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram;
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.

---

v. 54. *Nutriit humanae* libri ap. Gebh. et Passerat. pr. Burm.

v. 55. *Si conjux pariamve tua Regina sub aula* Vat. II, Perrej. *Si sim hospes* cod. Fruter. *Si possum spatiare* Colot. *Sic horspes* codd. omnes et edd. pr. *patiare una regnem ipsa sub aula* Pontani l. et Vat. I, qui tamen *tua* p. *una*. *pariam tua ne regina sub aula* Gr. *peream tua ne* M. *pariamne* Dresd. Neap. Exc. vulg. *patriamne* Voss. I. *pariam nec te* Borr. Voss. IV. *periam tua ne* Leid. quod et superscr. in Voss. III. *tua pariamne* Leid. II. *pariamne te* Heins. *patiar tua mi* O. II. *patriam nec te* Guarn. *pariam quam te* O. I. *patiare* Reg. B. II. *pariam duce te regina sub aula* Comel. *pariamque tua regina* ed. princ. *patiare tua regina* edd. Volsc. Beroald. Aldd. Junt. Colin. cet. *Si sim hospes patiare tua* ed. Muret. Paris. Rapheleng. aliae. *Dic, hospes, pariamne* conj. Heins. et Passerat. pr. Burm. maj. *Sive hospes pariamve tua* Ayrm. et Markl. *pariamve* D'Orv. *Sis hospes, pariamque tua Regina* Burm. pr. Wyttenb. *Sic obses pariamve tua — aula?* vel *Si caelebs, periam Tatia r. sub aula*: Lachm. in annot.

v. 57. *Si minus* codd. edd. rec. Lachm. *Sin minus* edd. inde a saeculo XVI.

v. 68. *Nescia nefariis accub.* codd. *nephariis* Borr. B. I,

Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
  Culpam alit, et pluris condit in ossa facis.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
  Strymonis abscisos fertur aperta sinus.
Urbi festus erat: dixere Palilia patres:
  Hic primus coepit moenibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros foeni flammantis acervos
  Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem;
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocalis occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos: sed Juppiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem;
  Nubendique petit, quem velit ipse, diem.

---

edd. pr. *Nescia se flammis* Colot. Pontani lib. edd. Muret. et Grasser. Lugd. Passerat. *N. ne furiis* ed. Scal. et Broukh. *se furiis acc.* Livinej. vulg. *se furiis succub.* N. Heins. *Nesciane ah furiis acc.* Lachm. in annot.

v. 70. *Curam alit* Heins. vulg. tamen defendens contra Guyet. *Curam agit* em. Hand. ad Statii Silv. T. I, p. 84.

v. 71. *Thermodoonta* codd. edd. vett.

v. 72. *abscisso sinu* codd. edd. pr. em. Broukh. vulg. *abscisos* Lachm. cujus cod. *absciso*. *abscissos* vulg.

v. 73. *Parilia* Perrej. Neap. vulg. *Palilia* codd. et edd. vett. Lachm.

v. 76. *divitiis* codd. edd. pr. *deliciis* codd. Beroald. em. Heins. vulg.

v. 78. *immundas dapes* codd. edd. pr. *pedes* Colot. Vat. I. *immundos pedes* ed. Brix. em. Passerat. alii vulg.

v. 83 et 84. absunt a O.

v. 85. *Omnia praebebat somnus* Markl. pr. Burm. *Omnia praebebant somni* Lachm.

v. 88. *quem velit ipsa* codd. edd. usque ad Burm. *ipse* em. Heins. et Markl. vulg.

At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustae praemia sortis habes.

ELEGIA V.

IN LENAM.

Terra tuum spinis obducat, Lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis;
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.

---

v. 93. *A duce Tarpeja* Exc. Voss. IV. *A nece Tapejae* em. Andr. Bassanus ap. Vulp. pr. Burm. et Lachm.

v. 94. *invisae* Leid. *Quae vigil* Heins. conj. *O vigil hic* (vel *haec*) *justae* Francius: *O vigil injuste* Lachm. in annot. *O virgo* Guyet. *O virgo injusti* (vel *invisi*) *praemia Martis habes* Burm.

ELEG. V.

v. 3. *at Cerberus* Perrej. Colot. Vat. 2, rec. Burm. *sed C.* Ask. *et C.* cett. codd. edd. praeter. Burm. omnes. Colot. Vat. 2, Regg. Borr. Voss. 3, Heins. O. II, Dresd. Mss. Domitii Marii ed. Beroald. *proxima avis* Bon.

v. 6. *pessima s. anus* Perrej.

v. 11 et 12. *ut Coll.* Perrej.

Audax cantatae leges imponere Lunae,
  Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset et intentos astu caecare maritos.
  Cornicum immeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
  Hippomanes foetae semina legit equae.
Exornabat opus verbis ceu blanda perurat,
  Saxosamque terat sedula culpa viam:
Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
  Et quae sub Tyria concha superbit aqua,

Vat. I. *ad Collitias* Voss. 4, Ask. *noverit* Reg. O. II, Borr. B. I, ed. Brix. *Stantia* codd. edd. pr. *Stagnaque currenti* edd. Aldd. II, Gryph. Rovill. aliae.

Quippe ut Collinas ad fossam admoverit herbas
Stagna et currenti deficiantur aqua. Heins. conj.
Quippe ubi Collinas ad fossam admoverit herbas
Stagna a currenti diluerentur aqua. conj. Burm.

v. 13. *Ausa excantatae l.* conj. Valcken. ep. ad. Roever. p. 55. pr. Burm.

v. 15. *Possit ut* Perrej. Vat. 2, vulg. *Posse et* Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. 2, edd. vett. *Posset et* cett. codd. Lachm.

v. 16. *emeritas* e sua conj. ed. Broukh.

v. 19. *Exorabit* Perrej. Exc. Vat. V, Ask. ed. princ. et Vicent. 1487. *Exornabit* Vat. II. *Exorabat* cett. codd. edd. Beroald. Volsc. Ven. Reg. Lep. aliae. *Exornabat* edd. Aldd. Junt. cet. vulg. *seu blanda* edd. pr. usque ad Beroald. *peruret* Exc. Heins. Borr. Ask. Leidd. Voss. I, IV, Guarn. Dresd. O. I, ed. princ. *perurerat* Neap. *praeiret* Perrej. Vat. 2. *periret* Voss. III, O. II. *pararet* Livin. *pererrat* Wakker. et Struchtmeyer. *ceu* (vel *ut*) *corda perurat* Burm.

v. 20. *ferat* codd. edd. ante Beroald. *feras* Guarn. *Saxosa facit* O. I. *sedula turba* Colot. Vat. V, Voss. IV. *sedula lympha* Borr. Franc. I. *cupa* vel *copa* vel *subdola copa* conj. Heins. prius etiam Burm. spurium censet hoc distichon Guyet.

v. 21. *Dorozantum* Perrej. Vat. I, II, Bon. *Si te aeoa doroxanthum* Gr. *Doroxantum* Palat. Comel. *Si te Coa derorantem* M. *Dororantum* Dresd. *Si te deroratum eoa juvat.*

Eurypylique placet Coae textura Minervae,
 Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
 Murrheaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
 Frange et damnosae jura pudicitiae.
Et simulare virum, pretium facit. utere causis:
 Major dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
 Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
 Fac simules puros Isidis esse dies;
Ingerat Apriles Iöle tibi, tundat Amycle,
 Natalem Majis idibus esse tuum.

Guarn. *Si te Eoa juvat derorantem aurea r.* Regg. edd. Venetae Vicent. Reg. Lep. Beroald. Brix. *deroratque* vel *decorantemque* alii libri. *Si te Eoa dorisantum* Cujac. *Sed te Eoa* Voss. IV. sequente lacuna *dorogantum* Voss. III. *derorantum* Voss. I, O. I. *decoratum* B. I. *decorantum* B. II. *Si te Eoa juvat Nabatharumque aurea r.* Auratus e v. c. in quo: *Dabathanumque. Si te Eoa juvat debarumque* ed. Volsc. *Debatarumque aurea r.* edd. Ald. I, Junt. Colin. *Dorozantumque a. r.* codd. nonnulli ap. Beroald. edd. Ald. II, Gryph. Cant. *Doroxantumque* Rovill. *Doroxantum* Muret. *Dorixanium* ed. Scalig. *Doroxanium* em. Turneb. vulg. *concha eoa, dona Eoa* et similia tentat Heins. *Si te Eoa avidam Gangis juvat* vel *Si te Eoa avidam doni juvat* Burm. prius praeferens.

v. 23. *Eurypylisque* em. Heins. pr. Burm.

v. 24. *Textaque* Perrej. Colot. Vat. 2, Reg. ed. Ven. et sic em. Markl. *Lectaque — vela* vel *Netaque in* Heins.

v. 29. *Et stimulare — utere claustris* Fea ad Hor. ep. I, 14, 9. e codd. *iram* p. *virum* conj. Heins. pr. Lachm.

v. 31. *vexaverit : utilis ira* Gr.

v. 34. *Sideris* vel *Syderis esse dies* codd. em. Beroald. vulg.

v. 35. *tibi tendat* Vatic. *tondat omincle* O. I, B. II. *condat* Perrej. in marg. ed. Ald. et sic ed. Brix. *contendat* Vat. IV, et sic conj. Heins. qui et *praetendat, et addat,* et alia voluit. *contendat* pr. Burm. *fingat* Walker. *Iole: te obtundat* Eldik.

v. 36. *malis Idibus* codd. *Majis* Voss. I, IV.

Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
  Quidlibet. has artis si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentis,
  Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis;
  Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
  Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica jactat,
  I comes, et voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantis vigilet: si pulset inanis,
  Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
  Nauta nec attrita, si ferat aera, manu,
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
  Cretati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
  Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
  Istius tibi sit surda sine arte lyra.

---

v. 39. *circa tua colla* codd. edd. praeter Burm. omnes. *circum* Voss. III, Dresd. ed. Burm.

v. 41. *Non te* edd. vett.

v. 43. *speciosa* Perrej. Vat. 2, Exc. Leid. II, Voss. I, III, O. II, Bon. Pal. membr. *p̄dosa* O. I. *praedosa* Vat. I, alii codd. ap. Berold.

v. 45. *si cantica jactat* codd. edd. vett. Lachm. pr. Markl. *brachia jactat* conj. Heins. vulg.

v. 48. *abductam* Voss. IV, pr. Burm. *in obducta sera* conj. Markl. *adductam* conj. Heins.

v. 49. *modo factus* Perrej. Vat. II, Borr. Gr. edd. Aldd. aliae.

v. 50. *neque attr.* Lachm. e conj.

v. 52. *Celati* vel *caelati* codd. edd. pr. em. Passerat. vulg. *saluere* Neap. Leid. II, Voss. III, IV, Dresd. O. II, rec. Burm. *saliere* ed. Broukh. et superiores.

v. 56. *sine arte* Borr. Voss. I, IV, B. I, Dresd. edd. vett. omnes. Burm. *sine aere* Gr. ceterique libri ed. Broukh. et Lachm.

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
  Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,

* * * *

Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas;
  Horruit algenti tegula curta foco.
Exsequiae fuerant rari furtiva capilli
  Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
  Cum fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo;
  Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua,

---

v. 57. *alvus* p. *annis* Fea ad Hor. A. P. 340.

v. 58. *Ne* vel *nec quid cras libet ab ore dies* codd. fere omnes. *labet* nonnulli. *Ne quis eat liber amore dies* ed. Volsc. Beroald. Aldd. Junt. cet. Scalig.

v. 59. *vix orta* p. *victura* conj. Heins.

v. 61. *Hic animus* Guarn. *His animus* Neap. M, Leid. Voss. I, IV, O. I. *animis* B. 2, edd. pr. *animam* et *animos* alii. *His animum* Borr. *animum vestrae* Gr. Lacunam v. sq. sic explent. codd.: *Per tenues ossa sunt numerata cutes.* Ejecit Muret.

v. 67. *exsputare* ex Gebhardi conj. Broukh.

v. 68. *pocula* vel *percula curva* vel *curta* codd. em. Salmasius et Heins. rec. Broukh. vulg.

v. 69. *fuerant* codd. edd. vet. Lachm. *fuerunt* vulg.

v. 72. *cultra* vel *coltra* cod[d.] *caltra* Perrej. Neap. Vatic. Re[g.] Dresd. II, Colb. O. 2, B. II, e[d.] princ. *clatra* Colot. Vat. I, e[m.] Beroald. pr. Burm. *claustr[a]* edd. Aldd. Scalig. vulg.

v. 73. *cincto* Voss. I, Gr. *Sit tumulo lenae* Burm.

v. 74. *hunc supra* codd. edd[.]

Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
  Mixtaque cum saxis addite verba mala.

ELEGIA VI.

DE PUGNA ACTIACA NAVALI.

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris,
  Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Philetaeis certent Romana corymbis,
  Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
  Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes; alio sint aere noxae:
  Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem;
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina; Caesar
  Dum canitur, quaeso, Juppiter, ipse vaces.
Est, Phoebi fugiens Athamana ad littora portus,
  Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,

---

vett. Lachm. *hanc* ed. Broukh. et Burm.

v. 75 et 76. *Caedito* et *adjice* codd. edd. pr. *addite* Pal. papyr. Comel. Neap. em. utrumque Livinej. vulg.

ELEG. VI.

v. 3. *Cera Philippeis certet* codd. edd. pr. *Philetaeis* em. Volsc. et sic Vatic. II, V. *Serta certent* em. Scalig. vulg. *Cera certet* Lachm.

v. 8. *Cadis* ed. Scalig. Broukh. Lachm. *cadis* vulg.

v. 11. Nova hinc elegia in omnibus fere Mss. *referemus* omnes pene codd. edd. pr. Lachm. *referamus* vulg. *reseramus* conj. Burm.

v. 15. *Phoebum* Fea ad Hor. ep. I, 16, 7. e codd. et mos *pandens* p. *pelagus*.

Actia Iüleae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coïere manus; stetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu:
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus;
Armorum radiis picta tremebat aqua:
Cum Phoebus, linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppim super, et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crinis in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae:
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbis
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait: o longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis,

v. 17. *Leucas* p. *pelagus* conj. Markl. pr. Burm.

v. 21. *Teucro d. Quirino* codd. edd. vett. Lachm. *tenero* B. II, in marg. p. v. l. Ask. ed. princ. Calphurn. Volsc. Beroald. vulg. *tauero damnata Perino* M.

v. 22. *acta manu* Colot. Vat. 3, Voss. I, Borr. Gr. O. I, Ask. Dresd. Passeratii ll. ed. Ven. pr. Burm. rec. Lachm. *apta* vulg.

v. 26. *Armorumque radiis* Leid. II, Voss. II. *Armorum radiis* Borr. Gr. Heins. Voss. IV, Comel. vulg. *Armorum et radiis* cett. codd. edd. pr. Lachm. *icta* B. II, et sic Markl. et Heins. pr. Burm.

v. 28. *unda* p. *ante* codd. edd. pr. *una* em. Volsc. *ante* em. Broukh. et Francius vulg.

v. 29. *puppim* optimi et plerique codd. Lachm. *puppem* vulg.

v. 31. *in terga solutos* Voss. III.

Vince mari; jam terra tua est; tibi militat arcus,
   Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
   Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
   Ire Palatinas non bene vidit avis.
Et nimium remis audent, pro turpe Latinis,
   Principe te fluctus regia vela pati!
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
   Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centaurica saxa minantis:
   Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit, et attollit vires in milite causa;
   Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates. ego temporis auctor
   Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus;
   Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi; dat femina poenas;
   Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

---

v. 42. *prorae suae* Voss. I, IV. *prorae publica fata tuae* conj. Livinej.

v. 43. *Romulus auctor* Reg. II, unus cod. ap. edit. Elect. Eton. pr. Bentlejus ad Hor. Od. III, 3, 65. et Burm. *augur* vulg.

v. 45. *Et numen* O. I, B. II, in marg. *lumen*. *En nimium* Vat. II. *remos* Leid. II, Voss. III. *prope turpe* codd. edd. vett. *proh turpe* Cujac. Vat. I, et sic Scalig. et Lips. vulg. *pro turpe!* Perrej. Puccii I. Vat. II. *Et* vel *En*, *nimium remis audent (pro turpe!) Latinos* Burm. *En! nim. r. audent! proh turpe, Latinos — pati!* Markl. *audent, pro, turpe Latinis: — pati!* Lachm. *audent, proh turpe, Latinis,* vulg.

v. 47. *remigat* Leid. II, Voss. III, a m. sec. pr. Schrader. rec. Burm. *remiget* vulg. Lachm.

v. 48. *et multo labitur* M, Vat. V, Borr. Gr. Leid. Voss. III, IV, O. II, B. I, Guarn. *invicto* Reg. Colb. edd. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc. Brix.

v. 49. *Centaurica saxa* codd. edd. vett. Lachm. pr. Markl. *Centauros saxa* Guyet. vulg.

v. 56. *furit* em. Heins. et Guyet. vulg.

At pater Idalio miratus Caesar ab astro:
Sum deus; en nostri sanguinis ista fides!
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta ratis.
Bella satis cecini; citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditaeque fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros;
Cepheam hic Meroen, fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum;
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.

---

v. 59. *miratur* Guarn. Gr. M, Voss. 3, Ask. O. 2, B. 2, edd. pr. Lachm. *miratus* vulg.

v. 60. *est nostri* Colot. Vat. I, V, O. 2. *et nostri* Leidd. Voss. 3, edd. pr. *et vestri* B. II. *est vestri* O. I. *en* Palat. Gebh. vulg. *Et* (vel *En*) *nostri sanguinis iste, fides* Markl. *Tum deus* Lachm.

v. 71. *subeam* Perrej. Vat. I, II, et sic conj. Heins. et Broukh.

v. 72. *Blanditiaeque* codd. edd. vett. *Blandiciaeque* Ask. B. I. *Blandidutaeque* Vat. 2, Perrej. *Blanditiae* Guarn. *Blandusiaeque* Pontanus. *Blandinaeque* Fruterius. *Blanditaeque* Scalig. em. vulg. *Blandae utrimque* Lachm. cf. Mitscherl. Lectt. p. 165.

v. 75. *irritet* codd. edd. vett. Lachm. em. Scalig. *positis* codd. edd. pr. *potis* Vatic. II, ed. Vicent. 1487, Ald. II, aliis. vulg.

v. 79. *sero confectum foedere* ut et Livinej. vel *Seras*, *con-*

Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros iste tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

ELEGIA VII.

DE CYNTHIA.

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit;
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit,
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethaeus triverat ora liquor.

---

fessum et foedera Parthum vel *confessum foedera* vel *sero confessa in foedera Partho Reddere signa R.* conj. Heins. duae priores conj. placent Burm.

v. 81. *aliqua* Perrej. Vat. 2. *aliquis* codd. fere omnes et edd. pr. usque ad Beroald.

ELEG. VII.

v. 2. *evinctos* Neap. Borr. M, Harlej. Leid. 2, Voss. 3, O. 2, B. 2, ed. Vicent.

v. 5. *Cum mihi ab exsequiis somnus p.* Regg. Borr. Gr. Leid. II, Voss. 2, O. II, Guarn. edd. multae vett. *amarus* conj. Livinej. *amaris* ed. pro Livineji em. in textu unde et in Burm.

v. 7. *Hosdem* plerique codd. edd. usque ad Aldd.

v. 9. *solitum* codd. edd. vett. Lachm. *solitam* em. Heins. vulg.

Spirantisque animos et vocem misit; at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburrae
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio commissa et pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Foederis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis.
Unum impetrassem, te revocante, diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et objectum tegula curta caput.
Denique quis nostro furuum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

---

v. 15. *exciderant* codd. fere omnes edd. vett. *exciderunt* Mss. Gebh. vulg.

v. 20. Post h. v. in vulgg. et ap. Lachm. legitur distichon v. 25 et 26, quod huc contra codd. auctoritatem transposuerunt.

v. 23. *inflammavit* O, II, Pal. Gebh. *inlaniavit* Voss. III. *inclamavit* Exc. Gr. Ask. O. I, B. 2, Dresd. Cornel. *inclinavit* Vat. V, M. Regg. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc. Beroald. Aldd. cet. vulg. *euntis* codd. edd. vett. *euntes* vulg. *hiantes* ex Heinsii conj. ed. Broukh.

v. 25. *Nec doluit* Perrej. Vat. I, II. *fissa* Regg. Colot. Vat. V, ed. Broukh. vulg. pr. Scalig. et Heins. *fixa* cett. codd. edd. vett. *te propter* Voss. III, Ask. pr. Markl.

v. 26. *abjectum* v. c. Passerat. pr. Guyet. rec. Vulpius.

v. 27. *curvum* codd. edd. vett. em. Heins.

v. 28. *immaduisse* Perrej. Vat. I, II.

v. 29. *at illuc* codd. edd. vett. Lachm. *illud* ed. Mureti 1558, Rovill. Scalig. vulg.

v. 30. *lethum* vel *letum* len-

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
  Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
  Injicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae;
  (Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas;
  Ducet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per vilis inspecta est publica noctis,
  Haec nunc aurata cyclade signat humum,
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
  Garrula de facie si qua locuta mea est;
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
  Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
  Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
  Ardenti e nostro dotem habitura rogo.

---

tius Perrej. Vat. II, O. I, B. II, ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsci.

v. 35. Hoc et sequens distichon Scalig. transposuit post v. 46 vulg. impr. Burm. in annot. cf. Schrader. Em. p. 175 sq.

v. 37. *Ut Nomas* Cujac. *At N.* Gr. Heins. *An N.* Guyet. *colat* Reg. O. I. *prodat* Perrej. Colot. Vat. 3. *Salinas* plerique codd. *Dicet* Regg. Colb. Cujac. Leidd. Voss. 3, Gr. Ask. O. 2, B. II. *Vicet* Dresd. *Ditet* B. I. *Licet* Borr., *Dicque* Neap. *Dio et* Ven. pr.

Lygdamus uratur, candescat lamina vernae; —
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi —;
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas cet.

Sic Lachm.

v. 41. *refundit* Borr. Heins. Leid. II, Voss. I, III, B. II, O. I. *pendit* Ask. *fundit* B. I. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsci.

v. 43. *corollas* edd. Aldd. Junt. cet. *quod* omitt. M, Ask. B. I.

v. 48. *Audax e nostro* Perrej. Colot. Vat. 2. *Ardent ex* vel *e. n.* Regg. Colb. Borr. Leid. II, Voss. I, III, O. 2, B. II, Vat. Guarn. ed. Brix. Aldd. *Ardent et* M. *Ardenti nostro* Ask. *Ar-*

Non tamen insector, quamvis mereare, Properti;
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis: sic mihi molle sonet
Me servasse fidem; si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytaemnestrae stuprum vehit, unaque Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

---

deat e nostro e suo l. Scalig. vulg. *Ardente ex* alii codd. ed. Ven. *Ardenti e n.* Gr. Mureti l. pr. Livin. alii. ed. Lachm. *Ardente e* Dresd. *Parthenie e n.* ed. Grasseri codd. et teste Passerat. negat hoc Burm. Ancillae nomen latere putat Heins. *Altera et e n.* Markl.

v. 50. *mei* Gr. Leid. II, Voss. III, IV, O. II.

v. 51. *revocabile* vel *revolubile carmen* codd. edd. pr. *revolubile fatum* Voss. IV. *revocabile* Gr. *revolubile* plerique alii. *revolubile carmen* ed. Lachm. *revolubile stamen* v. c. Passerat. et Heinsii rec. Broukh. vulg.

v. 52. *Tergeminumque canem, sic mihi molle s.* ex Heinsii conj. ed. Broukh.

v. 55. *partita* Colot. *quaesita* Borr. Gr. B. I, Leid.

v. 56. *navigat* Dresd. Reg. Colb. M, Borr. Gr. B. I, ed. Vicent. et Beroald.

v. 57. *altera Cressae* (*Crassae* in ed. Burm.) codd. edd. vett. *unaque classe* margo Voss. III. *et fera Cressae* Vat. V. *atraque* Perrej. Colot. Vat. 3, ed. Beroald. *albaque* alii teste Passerat. *unaque* em. Livin. vulg. *Ac rate Cressae* ed. Lachm.

v. 59. *vecta ph.* Dresd. Reg. Colb. Gr. Perrej. Colot. Vat. I, Fruter. cod. M, ed. Vicent. 1487, Beroald. aliae vulg. *parta ph.* cett. codd. ed. Reg. Ven. 1475, Volsc. Aldd. Junt. cet. *veste* Vat. II.

v. 61. *qua quaerar ut unda* Neap. Gr. Leid. II, Voss. I, II, O. I, B. II, Dresd. Vatic. *qua*

Andromedeque et Hypermnestre, sine fraude maritae,
  Narrant, historiae pectora nota suae.
Haec sua maternis queritur livere catenis
  Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores;
  In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.
  Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
  Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie; patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae, Latris, cui nomen ab usu est,
  Ne speculum dominae porrigat illa novae.

---

quaerar ne unda Ask. *quae quaerat in unda Cybeles* Colb. *qua quaeritur ut unda Cibeles* Bon. *qua quaeritur unda Cybelles* M, edd. Aldd. cett. *qua querar in ida Cybeles* B. I. *qua quaeram in unda* Borr. *qua querat in unda Cybelles* ed. Reg. Ven. 1475, Volsc. *quaerit qua buxa* Colot. *qua buxus et unda* Pontani l. *quaque errat turba Cybelles* cett. codd. ed. Beroald. aliae. vulg. restituerunt Scalig. et Turneb. cf. Lips. Lectt. antiq. II, c. 20. *quaque aera incurva* Heins. *qua buxus et aera C.* Burm.

v. 64. *historiae nocennt* M. *corpora nota* e suo l. Scalig. *pectora* codd. omnes. *nocte* O. I. *pignora nota* em. Livin. et Schottus pr. Burm. *foedera n.* Heins. *historias, pectora n., suas* Markl. *Narrant, historiae pectora n. suae* Lachm. *N. historiae* vulg.

v. 65. *Haec sua maternis* Gr. vulg. *Haec summa aeternis* codd. edd. pr.

v. 69. *satiamus* Pal. Gebh. Vat. 2, v. c. Perrej. *solamur* alii libri ap. Passerat. rec. Broukh. *Hic* B. I. *in te p. vitae* Gr. *Sic* (vel *Hic*) *moestis lacrimis veteres sanamus amores* conj. Burm.

v. 72. *Colchidos* Perrej. Vat. I, II, ed. Volsc. Beroald. *Claridos* Ask. *Cloridos* B. II. *Doridos* Cujac. B. I, Posth. vulg. *Chloridos* codd. cett. edd. vett.

Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
  Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
  Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
HIC TIBURTINA JACET AUREA CYNTHIA TERRA:
  ACCESSIT RIPAE LAUS, ANIENE, TUAE.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
  Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur: nox clausas liberat umbras;
  Errat et abjecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethaea ad stagna reverti.
  Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae; mox sola tenebo.
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.

---

v. 79. *pungente corymbo* conj. Burm.

v. 81. *Ramosis — pomifer* codd. vett. em. Broukh. vulg.

v. 83. *Hic carmen* Borr. B. I, Leidd. Voss. 3, O. II, Ask. Vat. Bon. Guarn. Dresd. Posth. edd. pr. Lachm. *Non carmen* O. I. *Hoc carmen* vulg.

v. 85. *Tiburtina* vel *Tiburina jacet hic* vel *hac* plerique et optimi codd.

v. 95. *sub voce* Leid. II, O. I, ed. princ. Vicent. Beroald. Aldd. cet.

ELEGIA VIII.

DE CYNTHIA.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
  Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
  Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  Qua penetral, (virgo, tale iter omne cave)
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
  Annua et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
  Cum tenera anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas;
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
  Clamantque agricolae: Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
  Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia dic, quaeso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis.

ELEG. VIII.

v. 1. *nocte agitarit aquosas* em. N. Heins. pr. Burm.

v. 5. *Qua satus* Pal. I, Gebh. *obripitur* Leid. II, Voss. III, O. II. *abrapitur* Voss. I. *aripitur* O. I. *arripitur* B. I. *Qua vocer obrepitur caeco defensus* Ask. *Qua patet abruptus coeco* cet conj. Heins. pr. Burm.

v. 6. *Qua penetrat virgo, tale iter omne cave* codd. edd. vett. *Qua penetrat (virgo, tale* cet.) Lachm. *penetral (virgo — cave)* em. Scalig. vulg.

v. 10. *temere* Regg. Colb. Leidd. Voss. I, III, O. I, B. 2. *tremere* Voss. IV, Heins. (?) Ask. O. II, ed. Lachm. *tremera* Comel. *tenera* Cujac. rec. Scalig. vulg. *anguino* Gr. B. 2, edd. pr. vulg. *anguineo* plures codd. edd. vett.

v. 15. *advecta* Vat. II, M, Gr. Dresd. pr. Burm. *devecta* Cu-

Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
  Si sine me, famae non sine labe meae
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes.
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro toties injuria lecto,
  Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae,
  Sobria grata parum; cum bibit, omne decet.
Altera Tarpejos est inter Teïa lucos,
  Candida; sed potae non satis unus erit.

---

jac. *avecta* vulg. *ab annis* codd. edd. pr. em. Beroald. vulg.

v. 20. *Nec sine me* Leid. I. *Desine me* Voss. I. *Sed sine me* M. *famae* Vat. V. *famae non sine labe suae* conj. Burm.

v. 22. *movere jocos* Gr. Leid. II, O. II, ed. Ven. 1475, Reg. Volsc. et sic Markl. *cocos* Ask.

v. 23. *Sic auriga trahi volsi carpenta nepotis* Pontani cod. *Si rogat amphracta vel si carpenta nepotis* Colot. Vat. I. *Sirnia num cepit, Siriga nam tacto* vel *Siriga non tacto* Borr. B. I, alii Vaticani. *Siriga nam capto Volsci c. n.* Reg. Colb. *Serica non taceo volsci c. n.* in marg. *Serica nam taceo* Reg. II. *Sirringa nam tracto vosci c. n.* Ask. *Stringam tracto volsci* Harlej. *Siriga nam capto Volsci* M, ed. Ven. 1475, Reg. *Siriga nam rapto* Cujac. *Serica nam capto Volsci* Gr. *Siriga — nepoti* Neap. *Siriga nam tacto* Leid. Voss. I, IV, B. II. *Siringa tracto* Voss. III. *Sirigana tracto volsci c. nepote* O. ed. Vicent. *volsci* Leid. Voss. III, O. II, Dresd. *Syriganam tacto* Dresd. *Syriga tacto* Bon. *nepoti* Bon. *Si rogat amphractu vulsi* ed. Volsc. em. Beroald. vulg. *Syrica nam taceo* conj. Salmasius. *Histrica jam taceo* Heins.

v. 27. Ab hoc v. multi codd. novam incipiunt elegiam.

v. 28. *Mutato* Gr. Dresd. edd. Venet. Volsc. vulg. *Mulctato* vel *Multato* codd. edd. Ald. I aliae. *voluit* plerique codd.

His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
  Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
  Et Methymnaei Graja saliva meri;
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
  Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus,
  Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
  Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco.
  Lanuvii ad portas, heu mihi, solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
  Et levia ad primos murmura facta Laris.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
  Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
  Pallueruntque ipso labra soluta mero.

---

v. 35. *umbra* p. *herba* em. N. Heins. pr. Burm.

v. 37. *utrique aestiva* codd. edd. vett. em. Scalig. vulg.

v. 38. *Graeca* vel *grata saliva* codd. edd. pr. em. Palmerius vulg.

v. 38. *Nile tuus tibicen* codd. edd. vett. em. Scalig. *chorolistria* et similia codd. em. Turnebus et Scalig. *Philis* nonnulli codd. *Phidis* conj. Burm.

v. 41. *Magnus* plerique codd. *Neimus* Neap. *Mimus* edd. Ald. I, Junt. cett. *Nanus* em. Beroald. vulg. et sic Voss. IV, a m. sec.

v. 50. *Nec levia* Colot. Vat. I. et sic conj. Burm.

v. 52. *comis* codd. edd. vett. Lachm. *comas* corr. Broukh. vulg.

v. 54. *Palluerantque* codd. edd. vett. Lachm. *Palluerant* Guarn. *Palluerunt* em. Livin. et Dousa F. vulg.

Fulminat illa oculis, et, quantum femina, saevit.
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ignis;
Territa vicinas Teïa clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis, tunicisque solutis
Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu;
Imponitque notam collo, morsuque cruentat;
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui; tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait: Admissae si vis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuae sidat operta morae.

---

v. 57. *ungues* Dresd. Colb. Gr. Palatt. Gebh. edd. nonnullae rec. Broukh.

v. 60. *voce* p. *nocte* conj. Heins. pr. Burm.

v. 63. *Cynthia gaudet in exuviis* Gr. ed. princ. rec. Broukh. vulg. *Cynthia in exuviis gaudet* cett. codd. edd. vett.

v. 68. *plutei fusca* vel *frustra* codd. em. Beroald.

v. 69. *Eruitur* Neap. B. II, Dresd. pr. Heins. Guyet. Lachm. *protractus* Neap. B. II, Dresd.

v. 71. *venit* Gr. Leid. I, Voss. 3, O. 2, B. 2, Bon. Guarn. Dresd.

v. 72. *Cui vix* Colot. Vat. I, II, Exc. Voss. 3, O. I, B. 2, Bon.

v. 78. *Sudet* codd. edd. vett.

Lygdamus in primis omnis mihi causa querelae
  Veneat et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi ego: Legibus utar.
  Riserat imperio facta superba dato.
Dein, quemcunque locum externae tetigere puellae,
  Suffiit, et pura limina tergit aqua.
Imperat et totas iterum mutare lacernas,
  Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia lecto,
  Et spònda et toto movimus arma toro.

ELEGIA IX.

DE HERCULE ET MORTE CACI.

Amphitryonides qua tempestate juvencos
  Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos pecorosa Palatia montis,
  Et statuit fessos fessus et ipse boves,

Sidet Neap. vulg. *studet* Vatic. *sedet* conj. Heins. Gruter. Markl. pr. Burm. *aperta* Neap. Bon. Dresd. Ask. O. 2, B. II, edd. pr. Lachm. pr. Burm.

v. 84. *Suffiit* em. Beroald. vulg. *Sufficat, suffocat, suffiat* et similia codd.

v. 85. *lotas* conj. Heins. pr. Burm. pro *mutare lustrare* conj. Broukh. pr. Markl. *mundare* Burm. *lucernas* Gr. Neap. Reg. Colb. Ask. Guarn. alii ed. Brix.

v. 88. *Despondi et tuto* Perrej. Neap. *Respondi et toto solvimus* codd. cett. edd. vett. em. N. Heins. vulg. *Et sponda et toto solvimus* ed. Lachm. *Et spondis, toto* em. Markl.

ELEG. IX.

v. 3. *in adductos* Comelin. Leid. I, Voss. I, IV, B. I. *et adductos* Gr. *et adjunctos* O. I, B. II. *in adjunctos* Voss. III, O. II. *et ad victos* Neap. Colb. *in avectos* Ask. *ad invictos* edd. pr. vulg. *ad eductos* Lachm. *nemoroso* Vat. V, Borr. B. I, vulg. *pecorosa* cett. codd. fere omnes Lachm.

Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
  Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
  Aversos cauda traxit in antra boves;
Nec sine teste deo. furem sonuere juvenci;
  Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus; et Alcides sic ait: Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
  Bis mihi quaesitae, bis mea praeda boves,
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
  Nobile erit Romae, pascua vestra, forum.
Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
  Terraque non ullas foeta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas:
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontisque piandos,
  Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae;
  Putris odorato luxerat igne casa.
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
  Multaque cantantis umbra tegebat avis.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
  Et jacit ante fores verba minora deo:

---

v. 9. *Ingens Cacus* Vat. V. *Insula* codd. *Incola* edd. pene omnes vulg. *Accola* conj. Schrader. Em. p. 178. pr. Burm.

v. 10. *focos* Voss. I, IV, Gr. rec. Broukh. vulg. *sonos* cett. codd. edd. vett.

v. 20. *Nobile erit* codd. edd. usque ad Broukh. Lachm. *erunt* e Francii conj. Broukh. vulg.

v. 21. *torret* Dresd. nonnulli alii codd. edd. omnes vulg. *torquet* codd. optimi et fere omnes.

Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
  Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
  Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
  Ille ego sum; Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae?
  Et nunquam ad notas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?

* * * *

Quodsi Junoni sacrum faceretis amarae,
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis
  Terrent, et Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia, et Lydo pensa diurna colu.
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
  Et manibus duris apta puella fui.

---

v. 34. *hospita vana, vestra,* vel etiam *tecta* codd. edd. vett. em. Scalig. vulg.

v. 35. *Circaque sonantia lymphis* codd. edd. vett. Lachm. pr. Markl. *circoque s.* em. Scalig. vulg. *circum antra s.* Burm. conj. in geniosam correctionem vocat Wyttenb. *Pontis egens erro circaque sonant loca lymphis.* Langius Silv. Portens. in Actis Philolog. Monac. T. III, 1, p. 59.

v. 40. *novas* Voss. II, IV. *varias* Vat. Reg. O. I, ed. princ. et Ven. *vatas* Neap. *vastas* Vat. I, Voss. I, Comel. pr. Burm. *natas* cett. codd. edd. vett. Lachm. *notas* Broukh. e conj. vulg.

v. 41. *homini* Bon. Guarn. Dresd. Neap. Colb. Borr. Leidd. Voss. 3, O. 2, B. 2, Lachm. *hominum* vulg. Lacuna expletur in Colb. Leidd. Voss. 3, O. I, B. I, Bon. Guarn. versu qui legitur v. 66. cf. Santen. ad Catull. et ad Manl. v. 22.

v. 43. *Quidsi* Guarn. Vat. et Voss. I, pr. Heins. et Lachm.

v. 45. *aliquem* codd. edd. pr.

v. 48. *colo* codd. edd. pr. *Lydo* codd. edd. vett. Lachm. *Lydae* Leidd. cf. Oudend. ad Appul. Met. p. 21. *Lyda* vulg.

v. 49. *cinxit* p. *cepit* Francius et Burm.

v. 50. *apta tabella fuit* em. Heins. *Nec manibus duris apta quasilla tuli* Burm.

Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontis; haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii composuère Cures.

---

v, 67, *Magnam Tiresias* codd. edd, pr, *Magno* v, c. Passerat, et sic em, Lipsius vulg.

v, 60, *fuit* codd. edd, pr. correx. Fruter. et Heins.

v. 69, *temeranda* em, Heins. et ed, Broukh,

v, 70. *Herculis extremum* O, I. *Herculii ext minium nescit* Neap, *Hercule exterminium noscit* Voss. I, et B. II. qui tamen *nescit*.

v. 74. *Sanctum Tatiae* codd, em, Scalig, vulg,

ELEGIA X.

QUARE JUPPITER FERETRIUS DICTUS.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires.
  Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
  Hujus, et exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic, spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turris
  Romulus, et votis occupat ante ratis.
Juppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.
  Voverat, et spolium corruit ille Jovi.
Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta compta lupina juba.

ELEG. X.

v. 4. *e facili* Neap. Gr. Ask. Leid. II, Voss. 3, O. 2, B. II, Palatt. Comel. Guarn. ed. Lachm.

v. 6. *eximio* Leidd. Voss. III, IV, Gr. ed. Reg. Guarn. Dresd. edd. pr. *exuvio* Ask. Borr. Voss. I, O. 2, Passeratii libri ed. Lachm. *exuivo* Neap. *exuviis* vulg.

v. 11. *Quirini* codd. edd. vett. Lachm. *Quirinis* Cujac. vulg.

v. 13. *librantem* Neap. Exc. Gr. Voss. III, IV, O. 2, B. II, Palat. I, Bon. Guarn. ed. Lachm. *librantes* Comel. *vibrantem* vulg.

v. 14. *rates* plerique codd. edd. vett.

v. 20. *hirsutis jubis* Gr. ed. Lachm.

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo;
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,
  Vincere cum Vejos posse laboris erat,
Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima praeda
  Nomentum, et captae jugera terna Corae.
O Veji veteres, et vos tum regna fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
  Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Vejus adstitit arcem,
  Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait: Forti melius concurrere campo.
  Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Di Latias juvere manus: desecta Tolumni
  Cervix Romanos sanguine lavit equos.

---

v. 21. *neque* Gr. et optimi codd. Lachm.

v. 23. hoc distichon sequenti postponitur in vulgg. Praeponitur in codd. et Lachm. pr. Burm. cf. Schrader. Em. p. 181.

v. 26. *jugera terna* Perrej. Colot. Vat. 2, et sic em. Scalig. et Lips. Lachm. *terra* Neap. Reg. Colb. Ask Borr. Gr. Leid. Voss. 2, O. I. *trita* Vat. I, Reg. II. *capta* M, B. I. *parva* Voss. III, Leid. II. *pauca* vulg.

v. 27. *O Veji* Gr. pr. Schrader. Em. p. 181, rec. Lachm. *Et Veji* vulg. *Et Volscum regna fuistis* Voss. IV, Vat. pr. Burm. *vos cum* Borr. B. 2. *vostum regna* ed. princ.

v. 34. *Vinea qua ductum* Comel. Bon. Guarn. Colot. Neap. Borr. Ask. Leid. Voss. 3, O. 2, B. II, pr. Schrader. et Burm. rec. Lachm. *Vinea qua inductum* Borr. B. I. alii. *Vineaque inductum* vulg.

v. 35. *concurrite* Borr. B. I. Bon. *fortes* conj. Markl.

v. 36. *gradu* codd. edd. vett. *gradum* em. Heins. et sic v. c. ap. Lipsium, vulg.

Claudius Eridanum trajectos arcuit hostis,
  Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdumari (genus hic Rheno jactabat ab ipso
  Nobilis e tectis fundere gaesa rotis)
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
  Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
  Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant,
  Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

---

v. 39. *Claudius e Rheno* codd. edd. vett. em. Guyet. vulg.

v. 40. *Belgica cum vasti* codd. edd. vett. Lachm. *Bellica* Palatt. *Belligera vasti* Cujac. *Belgica cui* em. Barthius. rec. Broukh. vulg. *Belligerans, vasti* em. Scalig. *Bellica cui v.* vel *Celtica* Guyet. et Heins.

v. 43. *jaculatus* Leid. II. *jaculatis* Voss. IV, B. I, Dresd. *jurgatis* Guarn. *jaculati* Passeratii libri. *jaculanti* em. Passerat. pr. Heins. *jaculantis* Cujac. vulg. *jaculanti ut* Lachm. *jaculanti ex* Heins. conj. et sic Perrej. Vat. 2. *virgatis velantibus inguina braccis* alii codd. *velantibus* Colot. *ab inguine* Dresd. codd. alii Itali edd. vett. *ex inguine* Heins. conj. pr. Casaubon.

v. 47. *Haec arma* codd. edd. vett. Lachm. *huc* Broukh. conj. vulg.

ELEGIA XI.

AD PAULLUM.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum;
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae;
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos. ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit, aut famae pignora tanta meae?
Num minus immitis habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecunque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hic umbrae mollia jura meae,
Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna,
Is mea sortita vindicet ossa pila.

ELEG. XI.

v. 6. *turvae* vett. conj. Heins. cf. Oudend. ad Appul. Met. VI, p. 414.

v. 8. *herbosos* B. I, Gr. M, Borr. Neap. Palatt. Guarn. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsc. Aldd. cett. ed. Broukh. et Lachm. *umbrosos* variantes Pocchi et Minterni, Voss. I, B. II, O. I, Perrej. Vat. I, II, ed. Vicent. 1481, Beroald. Muret. em. sic Puccius, ed. Santenius. *domos* p. *rogos* conj. Hemsterh.

v. 13. *Num minus* Gr. ed. Vicent. Beroald. Aldd. vulg. *Non minus* cett. codd. omnes edd. nonnullae vett. *habui* e suo cod. Scalig. et Puccius. *habuit* codd. edd. vett.

v. 14. *En sum* Gr. ed. Rovill. 1559, vulg. *Et sum* vel *ipsum* codd. edd. vett.

v. 20. *judicet* plerique codd.

Assideant fratres; juxta Minoïa sella, et
  Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
  Fallax Tantaleo corripiare liquor;
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
  Et jaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me; si fallo, poena sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.

---

ed. usque ad Broukh. *vedicat* Burm. I. *vindicet* Gr. Borr. Leid. *Is mea vindicet* em. Heins. pr. Santen. rec. Lachm. *In mea vindicet* vulg.

v. 21. *Assideat* Heins. *justa* Posth. et nonnulli alii. *juxta et* M. Vat. I, II, pr. Heins. *Minoida sellam* Colot. Vat. I. Gr. Heins. rec. Muret. pr. Heins. et Graevius · D'Orvill. *juxta et Minoïda sella* cod. Heins. *juxta Minoïa sella* cett. codd. edd. usque ad Muret. vulg. *et* omitt. in fine Vat. I, II, Gr. O, II, Pocchus. M. Regg. B. II, edd. ante Scalig. *juxta, et Minoïa sella* Santenius. *fratres juxta et Minoïda sellam* ed. Lachm.

v. 23. *cessent* Perrej. Colot. Vat. I, II, v. c. Pocchi et Minturni. *jaceant* Ferrarii l.

v. 24. *Tantaliae* Voss. IV. *Tantaleae* B. I. *Tantaleus* Gr. *Fallax, Tantaleo corripere ore, liquor.* em. Aurat. et Heins. pr. Graev. Burm. Santen. Lachm. *Fallax Tantalidae corripiare liquor* Fr. Passovius in scriptione quae inserta est libro vernacula lingua conscripto: *Archiv für Philologie und Pädagogik* II, 1, p. 362 sqq.

v. 27. *Loquar* Dresd. Pocchus l. Lupacchini, O. II, et sic conj. Heins. pr. Graev. et Santen. Addend. *fallo* Vat. I, Gr. Ask. vulg. *fallor* cett. codd. edd. usque ad Muretum.

v. 29. *proavita* Modii exc. *peravita* codd. plerique edd. *decora trophaea* O. I, Exc. ed. Vicent. *decora trophaei* vel *trophei* B. 2, Borr. Vat. II, M. Voss. I, Lupacchini l. ed. Brix. Volsc. Scalig. aliae. *pavita trophea decori* v. c. Pocchi et Minturni. *decori trophea* ed. princ. *proavis decorata tropaeis* conj. Bahrdt. pr. Santen.

v. 30. *Afra* margo Colb. et sic cm. Scalig. vulg. *Atra, sera, era, uera, etra, vera* codd.

Altera maternos exaequat turba Libones,
   Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
   Vinxit et acceptas altera vitta comas.
Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
   In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma verendos,
   Sub quorum titulis Africa tonsa jaces,
Te Perseu, proavi simulantem pectus Achillis,
   Quique tuas proavo fregit Achille domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
   Labe mea nostros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum;
   Quin erat et magnae pars imitanda domus.

---

v. 31. *Libones* Gr. ed. Volsc. vulg. *ligones* codd.

v. 34. *aspersas* Perrej. Vat. I, II, v. c. Lipsii, Puccii, Ferrarii, Minturni, Pocchi. vulg. *acceptas* codd. edd. usque ad Broukh.

v. 35. *cum p. sic* Reg. Dresd. ed. Reg. Lep. Ven. 1475, Vicent. Brix. aliae. *condiscessura* Vallier. *non discessura* Puccius et Huschk. ep. cr. p. 87.

v. 36. *huic uni* em. Marcilius, Koppiers. alii. rec. Lachm. *o uni* conj. amicus Santenii. *hoc uni* vulg.

v. 37. *verendos* Gr. margo Colb. cod. Latini Latinii ed. Santen. *colendos* vulg.

v. 38. *jacet* B. I, Borr. rec. Santen.

v. 39. *Perseu* Vat. I, ed. Beroald. *simulantem* Gr. Reg. Colb. Puccius rec. Broukh. vulg. *stimulantem* cett. codd. edd. vett. *Achilli* Heins. Voss. B. II, rec. Lachm. cf. Oudend. ad Appul. M. p. 46. *Et Persen proavo stimulantem pectus Achille* conj. Lipsius pr. Heins. *Te Perseu, proavi simulantem* em. Santen. rec. Lachm. *Persem* Lupacchini l. *Et Persen pr. simulantem* vulg. *Tubulantem* conj. Oudend. ad Appul. Met. p. 758.

v. 40. *proavo* codd. edd. Vicent. Beroald. 1520. *proavos* Voss. IV, O. II. *proavus* Gr. edd. vett. et Broukh.

v. 41. 42. *neque ulla* Lachm. cf. Huschk. ad Tibull. p. 355. *metuisse* e codd. Fea ad Hor. ep. II, 1, 150. *vestros* multi codd. edd. Lachm. impr. Fea.

v. 43. *Non erat* Cujac. rec. Scalig. et Broukh.

v. 44. *erat et* Gr. Lupacchini

Nec mea mutata est aetas; sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possim melior judicis esse metu.
Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas,
Turpior adsessu non erit ulla meo:
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritae rara ministra deae,
Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignis,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, et lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostro sinu.

---

c. rec. Broukh. et Lachm. *et erat* vulg. *et eram* Perrej. Colot. Vat. I, II, Puccius et Minturn. pr. Heins. et Santen.

v. 46. *insontes* conj. Burm.

v. 48. *Ne possem* M, Gr. Puccius et Pocchus rec. Lachm. pr. alii. *possim* codd edd. vett. pr. Huschk. ad Tib. p. 343.

v. 49. *Quamlibet* Colot. Vat. II, conj. Livinej. et sic Pocch. et Mint. vulg. *Quaelibet* codd. edd. vett. Lachm. *ascensu* optimi codd. *assensu*, *accessu* alii.

v. 55. *Strabonia* plerique codd. *Scribonia* corr. Puccius et alii.

v. 61. *Et tanti e. generosos testis h.* conj. Heins. *generosae vestis* Burm. et Koppiers. *stirpis* Santen. pr. Wyttenb.

v. 63. *Tu — tu* Gr. Colot. Minturnus. rec. Brouckh. vulg. *Te — te* cett. codd. edd. vett.

Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
  Consule, quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
  Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
  Solvitur; aucturis tot mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos.
  Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater; illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris.
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.

---

v. 66. *Pacto* Ask. *fuit* p. *soror* Harlej. *festo tempore* conj. Koppiers. *ex tempore* Fruter. et Heins. *Consule quo fati crimine r. s.* id. Heins. et Broukh. *Consule quo, fato tu mea* (vel *modo*) *r. s.* idem H. *Consul quo factus tempore, r. s.* ed. Lachm.

v. 67. Hoc et duo sequentia disticha Scalig. rejecit post v. 96. pr. Schrader. Em. p. 184.

v. 70. *solvar* et *solvit* Lipsii codd. *solvit* Vat. I, II, Perrej. Colot. *juncturis* iidem B. I. *in curis* Dresd. *uncturis* Palatt. Comel. Leid. Voss. I, III, IV, B. II, O. II, Vossian. Heins. Gr. Borr. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsci. Minturn. cod. Lupacch. l. ed. princ. *auctoris* O. I. *unturis* Exc. *uncturus* Ask. Harlej. *vincturis* Leid. II. *vecturis* Vat. I, II, Perrej. Colot. *Solvitur haud ullis stant mea fata malis* Colot. II, Excerpta Italica. *Solvitur, haud ullis stant mea fata malis* vel *Solvitur aucturis non mea fata malis* Graevius. *ursuris* vel *aucturis* Heins. *aucturis malis* ed. Passerat. *uncturis meis* id. in annot. pr. Guyet. et sic ed. Brix. Londin. *aucturis — meis* Lachm. in annot. *Solvit, lucturis tot mea fata meis* Edit. Elect. Eton. *bonis* p. *malis* Palmer. *Solvit, vecturis tot m. f. vadis* Santen. pr. Wyttenb.

v. 79. *quid — eris* Gr. edd.

Et si quid doliturus eris sine testibus illis,
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem reddita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro,
Conjugium, pueri, laudate, et ferte paternum.
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic juvet esse senem!
Et bene habet. nunquam mater lugubria sumpsi;
Venit in exsequias tota caterva meas.

---

omnes. *quis — erit* codd. cett. *...eras* Dresd.

v. 80. *fige* Voss. III.

v. 81. *sint* Gr. Puccius et Pocchus. Vat. II, rec. Scalig. vulg. *sunt* cett. codd. edd. vett.

v. 82. *tradita* Comel. Guarn. Voss. III, IV. *reddita* em. Graevius pr. Santen.

v. 84. *jace* Gr. ed. Beroald. vulg. *tace* cett. codd. edd. vett.

v. 93. *lenire* conj. amicus edit. Elect. Eton. pr. Koppiers. Schrader. Em. p. 183. et Lachm. *venturae servire senectae* conj. Wassenberg.

v. 94. *Coelibis a cura ne vacet ulla dies* conj. Santen. pr. Wyttenb. *valet ulla vias* Neap.

v. 97. *En bene* Colot. Pocchius et Minturn. Vat. I, apud Latin. Latin. *Si b.* Leid. Voss. IV, B. I, Gr. Borr. Vat. cod. Lupacch. Comel. Guarn. *Sed b.* Exc. pr. Markl. Burm. Schrader. *Et* O. 2, edd. omnes.

Causa perorata est; flentes me, surgite testes,
  Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et coelum patuit: sim digna merendo,
  Cujus honoratis ossa vehantur avis.

---

v. 100. *Tum pretium — rependat* conj. Edit. Elect. Eton. et sic cod. Lupacch.

v. 102. *equis* Voss. I, B. II, O. I, Exc. Vossian. Heinsii. Gr. Perrej. Colot. Vat. I, II, Vulpii libri Ferrarius, v. c. Pocchi Lupacch. ed. Vicent. Volsc. Sca *aquis* cett. codd.. ed. Ven. 147 Reg. Lep. Beroald. Aldd. p Turneb. Lips. *avis* em. Hein rec. Broukh. et Lachm. pr. Sant

OBSERVATIONES CRITICAE.

CAP. I.

DE SPURIIS VERSIBUS LACUNISQUE QUAE APUD PROPERTIUM REPERIUNTUR.

Cum omnino de interpolationibus disputatio res sit difficillima et in qua quam maxime accurate versandam, tum prae omnibus poetis hoc apud Propertium maxime lubricum est et quia, quod certe adhuc sciamus, omnes ejus codices ex uno sunt ducti exemplari et quod ipse poeta, ut negari nequit, interdum tumet, etiam ineptit. Plures insititii versus ab editoribus, maximeque Lachmanno notati sunt; quomodo nobis res cesserit, penes eruditos et aequos arbitros judicium esto.

Agitur autem de el. XXI (XX Burm.) l. III quam mirabilem vocat Valcken. in Callimacheis p. 269. Videamus nunc quare sit hoc carmen mirabile.

Poeta Athenas profecturus eo est consilio, ut Cynthiae amorem plane abjiciat, cum omnia sibi tentata sint, Amor autem undique premat. His omnibus malis igitur unum putat poeta auxilium, discessum scilicet ab urbe et ipsa Italia. Vides sic cogitationum seriem nulla re turbari neque quidquam inveniri quo aliquis jure offendere possit. At apud Propertium ut nunc in codicibus et editionibus ejus carmen extat post v. 6. hoc distichon legitur:

> Vix tamen aut semel admittit cum saepe negavit,
> Seu venit extremo dormit amicta toro.

In praecedentibus nihil legitur nisi de amore valdeque aliena est commemoratio puellae. Praeterea illud *tamen* nequit ad v. praecedentem referri, nam ille tantum a deo premitur cui ardor neque copia satiandi est, ut apparet ex. el. I, 1. I. *Vix ea me aut* conj. Scalig. *Vix tandem* N. Heinsius cui accedit Burmannus. Quam conjecturam sane facilem, si etiam reciperemus, non-

dum tamen res confecta esset. Cur enim venit sicca illa et nimis sobria puella? nisi forte suam experiri voluit abstinentiam. Senserunt hoc, opinor, illi qui *venio* aut *veni* emendare voluerunt, sed Lachmannus hoc modo particulam desiderari recte observat, quamquam etiam, ut vulgo legitur, oratio aliquid habet incommodi. Vellem tamen Lachmannus qui sanum praedicat hoc distichon, paullo fusius sententiam explicasset versus: quod enim dicit, *seu venit* oppositum esse praecedenti *admittit*, id quidem ex hoc disticho apparet, sed falsum esse videtur. Ingenua enim fuit mulier Cynthia, quae poetam numquam nisi in somnio visit, quamquam cum eo in trivio convenit, ut ipsa narrat IV, 7, 15 sqq. Haec autem ipsa elegia distichon spurium esse docet. Narrat enim in ea Cynthia omnia quae ob acrem erga nostrum poetam amorem et egerit et passa sit. Quod si umquam ad poetae domum venerit, num illam hoc praeteriisse putamus? Omnino illud v. *venire* sic fere dicitur ut pro *convenire* aut *copiam sui praebere* ponatur; in ejusmodi vero oppositione, ut h. l. numquam legitur. Sola, si recte memini, Corinna Ovidium visit, in ceteris omnibus locis, *venire* commode explicari potest *convenire*. Relicua distichi verba docte ab interpolatore composita esse, negare nequeo, neque tamen celandum est et *amicta* a Scaligero acute correctum esse, cum in omnibus libris inepte *amica* legatur, et multum omnino libros in scriptura variare, ut Burmanni annotationem inspicienti patebit. Tota autem sententia languida et a mente Propertii mirum abhorrens, flebiliter puerilemque in modum effertur; contra, disticho ejecto, bene omnia procedunt. Non inepte conjici potest, illum, quisquis hoc distichon finxit, in animo habuisse II, 17, 12:

> Quem modo felicem invidia admirante ferebant
> Nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Sed jam ad alteram elegiae partem properandum est. Poeta igitur vivide profectionem suam describit neque usque ad v. 25. quidquam est quo haereamus, nisi v. 15, in quo cum unus Broukhusii liber p. *tuque puella* habeat *tuque Johanna*, haec discrepantia nostram de elegia hac interpolationibus corrupta suspicionem auget cf. Burmanni ad III, 15, 8. annotationem. In v. igitur 25

poeta de Piraei muris longis agit. Nunc vide versus sequentes:

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis dux Epicure tuis.

Distichon hoc spurium esse jam Lachmannus suspicatus est, duabus imprimis causis permotus, primum quia *illic* incommode ad muros referatur, deinde ob *vel* particulam, sequente *aut*, male positam. Sed sunt alia et majora interpolationis signa. Primum enim cum *studia Platonis* latine dici non possint, Broukhusius *stadiis* e sua conjectura iu textum, ut ajunt, verborum recepit, quod probarunt Burm. et Wyttenbach. ad Cic. de legib. init. in annotatione praeterea *spatiis* emendans. In hanc conjecturam item Fonteinius incidit, qui in erudita diatribe apud Huschkium ep. cr. p. 63. sqq. et *studia* et *stadia* rejicit suamque conjecturam *spatia* tueri studet. Jure tamen Lachmannus egregiam Fonteinii et Huschkii hoc de loco disputationem digniore loco positam esse optat. Atque ipsum illud *spatia Platonis* aliquid contorti habet; tamen non rejiciendum. Sed quid-sibi vult: *animum emendare?* Dicitur quidem *emendare* apud hujus aevi scriptores de eo cui erasa sunt prima elementa cupidatis veluti *sapiens emendatusque vir* commemoratur Horatio ep. 1, 16, 30 et *tam bonus tamque emendatus vir* Appuleio Apol. in fin. atque hoc v. ad ipsos canes transfert Gratius Cyneg. v. 197 et ad agrum Varro de R. R. I, 4, 4. cf. etiam Gronov. Obss. IV, 13. At Cynthiae amor Propertium non inquinaverat, ut opus fuerit animum emendare. Quin ipse compluribus locis sanctitatem amoris sui laudat et qualiscunque fuerit, certe Romanum non dedecoravit. Praeterea initio elegiae Propertius se tantum absentia amorem exstinguere velle aperte profitetur, nihil autem de hac poenitentia adjicit. Alcimus quidem Avitus loco a Bentleio ad l. IV. Hor. Carm. IX, 39. excitato, canit:

Nec castam dicere carnem
Jure potest, animus quem si corrumpat adulter.

ubi similem vide Senecae locum. Sed haec omnia huc non faciunt, neque etiam Ovidius adducendus est, Amor. II, 4, 1:

Non ego *mendosos* ausim defendere mores

qui v. spectat ad illum, qui mox sequitur:

> Non est certa meos quae forma irritet amores.
> Centum sunt caussae, cur ego semper amem.

Cynthiam amavit Propertius constanter. Egregium vero remedium ad animi emendationem proponitur in studio philosophiae, quae ab Epicuro, ut hîc vocatur, *docto* nomen habet. Quae autem omnium unquam disciplina in delicta amatoria facilior fuit? Quis Venerem ornatius celebravit quam Epicuri assecla Lucretius, ut finem libri IV. taceam? An Petronius igitur injuriam Epicuro fecit, si c. 132. de Venere vulgivaga locutus:

> Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
> Jussit.

quo tamen versu, ut modo non sine summa admiratione video, Schraderus Obss. ad Musaeum p. 241. dormitans, ut apparet, Propertii locum tueri studet.

Hoc quidem nomine Epicurum *doctum* fuisse concedo, sed si etiam ejus ignorantia non talis fuit, ut a Cicerone perstringitur, tamen *docti* epitheton neutiquam ei convenit. Broukhusius igitur, qui omnium diligentissime in his versibus versatus est, *dux Epicure* reposuit et quia Epicurus, ut jam dictum, ab eruditione non laudatur, et quia mox sequitur *docte Menandre*. At etiam Menander inepte *doctus* vocatur, quem *jucundum*, *cultum*, *mundum* dici decuit. cf. Ovid. Trist. II, 369. et Propert. IV, 5, 43. Optime contra Manilius V, 475:

> *Doctior* orbe suo linguae sub flore *Menander*.

i. e. *puri sermonis amator* ut vocatur Anthol. L. I. II, 221. Deinde ut Epicuri philosophia nihil prodest animum emendaturo, sic eidem minime Menandri comoediae legendae sunt, in quibus poeta producit:

> Ardentis juvenes raptasque in amore puellas
> Elusosque senes agilesque per omnia servos.

cf. etiam Ovid. Am. 1, 15, 16. *laetaque materia* eidem ab Ausonio Centone nuptiali tribuitur. *Laete Epicure* conjicit Slothouwer. in Actis Soc. Ultratr. III, p. 136 sq. quod alioqui probum, huic loco non convenit. *Persequi studium* autem locutio est plane prosaria;

Demosthenis arma dicta sunt ex imitatione Petronii in Anthol. Lat. I, p. 582, cujus tamen versus, quamvis inquinati esse videantur Burmanno, non sollicitarem; certe ipsius Burmanni conjectura valde infelix est. Enallagen istam *librorumque tuos sales* nullo modo ferri posse cum Burmanno et Huschkio quivis, opinor, sentiet neque adjuvat nos mira Lachmanni interpunctio:

Librorumque, tuos, docte Menandre, sales.

De Enallages usu apud Propertium postea agemus. Eodem modo illud: *persequi sales* displicet, quod sine exemplo est. Prius autem quam progrediamur notanda est plane singularis membrorum conjunctio: *vel — aut — aut — aut — sive — aut — aut — seu* quamquam post *sive* secundo loco *aut, vel, et* ponitur ut Oudendorpius exemplis ad Caes. B. Civ. III, c. 25. prolatis affirmat. Miser igitur amans, aut Platonis aut Epicuri aut Demosthenis aut Menandri operum studio animum emendaturus, v. 29. paullatim desperare videtur, dicens: *certe* tabulas animum ejus capturas. Quid sibi hoc vult *certe?* Sane nihil aliud significari hac voce potest, quam tabularum contemplationem magis quam philosophiae studium valere ad animi emendationem. Quis autem umquam vel profanus vel sacer scriptor hoc contendit et quis sana praeditus mente hoc affirmare audet? An Tiberius etiam Parrhasii in cubiculum illatis tabulis animum emendare voluit? Magis etiam incommodum et languidum illud est, quod mox sequitur, *magis*, cujus vocis aptam huic loco explicationem nullo modo extricare possum. In *manus* v. tamen ne haereamus, cavet erudita Burmanni disputatio, quem recte sequitur Lachmannus: male enim Passeratius ad II, 6, 27. Sed jam Gronovius hanc significationem in Observationibus explicaverat, cui adde Handium ad Statii Silv. III, v. 47, eodemque modo Wernsdorfius exponit in Lucil. Aetna v. 593. Tandem autem poeta omnem studiis animi dolores leniri posse spem abjicit, *annorum spatiis* vel *locorum longinquitate* vulnus sanatum iri addens. At de hoc tamquam unico remedio Propertius initio jam dixerat:

mutatis, Cynthia, terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
  Consule, quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
  Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
  Solvitur; aucturis tot mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos.
  Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater; illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris.
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.

---

v. 66. *Pacto* Ask. *fuit* p. *soror* Harlej. *festo tempore* conj. Koppiers. *ex tempore* Fruter. et Heins. *Consule quo fati crimine r. s.* id. Heins. et Broukh. *Consule quo, fato tu mea* (vel *modo*) *r. s.* idem H. *Consul quo factus tempore, r. s.* ed. Lachm.

v. 67. Hoc et duo sequentia disticha Scalig. rejecit post v. 96. pr. Schrader. Em. p. 184.

v. 70. *solvar* et *solvit* Lipsii codd. *solvit* Vat. I, II, Perrej. Colot. *juncturis* iidem B. I. *in curis* Dresd. *uncturis* Palatt. Comel. Leid. Voss. I, III, IV, B. II, O. II, Vossian. Heins. Gr. Borr. ed. Ven. 1475, Reg. Lep. Volsci. Minturn. cod. Luppacch. l. ed. princ. *auctoris* O. I. *unturis* Exc. *uncturus* Ask. Harlej. *vincturis* Leid. II. *venturis* Vat. I, II, Perrej. Colot. *Solvitur haud ullis stant mea fata malis* Colot. II, Excerpta Italica. *Solvitur, haud ullis stant mea fata malis* vel *Solvitur aucturis non mea fata malis* Graevius. *ursuris* vel *aucturis* Heins. *aucturis malis* ed. Passerat. *uncturis meis* id. in annot. pr. Guyet. et sic ed. Brix. Londin. *aucturis — meis* Lachm. in annot. *Solvit, lucturis tot mea fata meis* Edit. Elect. Eton. *bonis* p. *malis* Palmer. *Solvit, vecturis tot m. f. vadis* Santen. pr. Wyttenb.

v. 79. *quid — eris* Gr. edd.

Et si quid doliturus eris sine testibus illis,
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem reddita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro,
Conjugium, pueri, laudate, et ferte paternum.
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic juvet esse senem!
Et bene habet. nunquam mater lugubria sumpsi;
Venit in exsequias tota caterva meas.

---

omnes. *quis — erit* codd. cett. *eras* Dresd.

v. 80. *fige* Voss. III.

v. 81. *sint* Gr. Puccius et Pocchus. Vat. II, rec. Scalig. vulg. *sunt* cett. codd. edd. vett.

v. 82. *tradita* Comel. Guarn. Voss. III, IV. *reddita* em. Graevius pr. Santen.

v. 84. *jace* Gr. ed. Beroald. vulg. *tace* cett. codd. edd. vett.

v. 93. *lenire* conj. amicus edit. Elect. Eton. pr. Koppiers. Schrader. Em. p. 183. et Lachm. *venturae servire senectae* conj. Wassenberg.

v. 94. *Coelibis a cura ne vacet ulla dies* conj. Santen. pr. Wyttenb. *valet ulla vias* Neap.

v. 97. *En bene* Colot. Pocchius et Minturn. Vat. I, apud Latin. Latin. *Si b.* Leid. Voss. IV, B. I, Gr. Borr. Vat. cod. Lupacch. Comel. Guarn. *Sed b.* Exc. pr. Markl. Burm. Schrader. *Et* O. 2, edd. omnes.

causa addita, quam equidem mihi reperisse videor. Postulatur enim, nisi egregie fallor, haec sententia: Tu, nauta, trajice umbras; sed ad te Marcellus non veniet. Illius anima ad astra evolabit ubi ejus sunt avi. Marcellum enim decuit esse cum Hercule atque Tyndaridis

> Quos inter Augustus recumbens
> Purpureo bibit ore nectar.

Sic Ennius loco a Bentleio ad Hor. Carm. Sec. v. 16 explicato:

> Romulus in coelo cum dîs Genitalibus aevum
> Degit.

Juppiter de Caesare ap. Sil. Italic. III, 601:

> Nec Stygis ille lacus viduataque lumine regna
> Sed superum sedes nostrosque tenebit honores.

v. etiam Bahrdtium ad ejusdem l. X, v. 577, et Heinsium Adversar. p. 17. Lollii Bassii ep. X, Anal. Br. T. II, p. 162. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 159. Augustum vocat Propertius *deum* III, 3, 1 Caesaremque ab *Idalio astro* prospicientem facit IV, 6, 59. Non spernenda igitur videtur Marklandi conjectura in Prop. II, 8, 8. ed. Burm. *dei* p. *mei* certe quae Burmannus contra affert, ea valde aliena sunt, neque, spero, etiamnum sunt qui fortasse Horatium in auxilium vocent. l. I, Sat. X, v. 82. Illum tamen Propertii locum satis tutantur quae D'Orvill. observavit ad Chariton. p. 405. et similiter Statius praef. ad Silv. III. *Germanici nostri*, ubi Domitius *dei* inseruit, notatus a Gronovio. Ipsa Cornelia apud Propertium ultimi carminis extremo disticho:

> Moribus et coelum patuit; sim digna merendo
> Cujus honoratis ossa vehantur avis.

ubi cave Heindorfio assentiaris ad Tullium de N. D. l. III, §. 3, *sim* p. *utinam sim* explicanti. Est enim conjunctivus modeste positus pro indicativo. Quid vero laudis versibus in Marcelli honorem compositis inest, si poeta eum ad Charontem afferri dicit, cui omnes cujuscumque ordinis homines venire oportuit? At, inquiet aliquis, piorum et impiorum sedes discretae fuerunt, apudque Virgilium in Elysio Marcellum fuisse legimus. Alia vero ratio fuit Maroni juvenem praematura morte patriae ereptum celebraturo, alia Propertio.

Ille Homeri imitatione et ipso fabulae nexu adstrictus non aptiore loco Marcelli encomium inserere potuit, quam in ea carminis parte, qua Aeneas ad inferos descendit. Quid autem Propertium impedivit, quominus Marcellum ad coelum evectum fuisse fingeret? Et fingit profecto hoc poeta ultimo disticho adolescentem in astra Claudium Caesaremque sequi dicens. Quodsi etiam vera essent quae Heinsius disputat Adversar. p. 734, tamen huc non faciunt. Quid enim est Charonti cum astris? Duo haec disticha separanda esse primus, quod sciam, vidit Lachmannus vehementerque mirandum est, alios fugisse rem adeo perspicuam. Sic igitur Lachmannus:

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Hoc animae portent corpus inane *suae*:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

Primum illud *hoc* quo referatur nescio, deinde paullo contortius in *cessit* v. Marcelli nomen intelligitur, cum inde a v. 15 nulla ejus mentio fiat, neque etiam in illis primis quindecim versibus Marcelli nomen legatur, quocirco accedo Guyeti Heinsiique sententiae, ante v. 9 et 10:

His pressus Stygias vultum demersit in undas
Errat et in vestro spiritus ille lacu.

nonnulla excidisse; certe Lachmanni interpungendi ratio *spiritus, Illa, lacu* nulli, opinor, sufficiet. Habet autem omnino hoc distichon quod iis adversatur, quae ultimis verbis dicta sunt. Hoc enim loco inter astra Marcellus versatur, illo in lacu inferno errat. Videtur ergo hoc distichon transponendum, certe interrogative ita accipiendum, ut in sequentibus versibus, qui exciderunt, hoc negaretur. Denique autem, ut redeamus quo profecti sumus, quamquam illorum in numerum minime referri velim, qui poetas hisce fere verbis: ornate, docte, eleganter et quae similia sunt commentantur, tamen celare nequeo, distichon illud, ut Lachmannus constituit, exspectationi meae nullo modo satisfacere, neque possum adduci, ut credam, rem poeticae descriptioni aptissimam, qualis est Marcelli iter ad astra, tam paucis et simplicibus verbis a poeta tractatam esse. Hae sunt fere causae quibus permotus

et ante ultimum distichon et ante v. 9. lacunas statuendas censeo neque in aliorum multo facilius, quam Lachmanni, conjecturis refutandis longius morari volo, quamquam non ita, ut Lachmannus, in eorum sententia offendo qui *tibi*, ut vulgo dicunt, redundare putant. Redundat quidem haec vox non magis quam apud nos, quamquam ea in nonnullis locis commode abesse posset, sed orationi dat colorem quendam pro cujusque loci ratione diversum. v. Drakenb. ad Sil. Ital. I, v. 46, cujus tamen exempla non omnia quadrant. Perperam Burmannus I, 5, 8. *solet* rejecit, verbum, quod optimam praebet sententiam. *Tibi* et hic et aliis locis vel amicitiae quandam speciem, vel etiam dissimulationis habet. Val. Flacc. V, 579:

Quis procul ille virum nobis quem balteus asper
Subligat et stricto stat proximus armiger arcu.

Heinsius: *Quis procul ille, humerum nodis* conjecit. *Nodis* etiam mihi in mentem venit. Sed nihil mutandum videtur. *Virum* est genitivus; *nobis* non, ut ajunt, redundat, sed ad *procul* referendum. Sic nihil difficultatis restat.

Propertius II, 34 (25) 27:

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit aut rerum dicere posse vias?
Aut quid *Lucreti* prosunt tibi carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.

Cretaei priscarum est scriptura editionum probata Oudendorpio aliisque, ut Rhianus vel Epimenides intelligatur. Libri tamen Mss. *Erechtei* sive *Erethei* habent, Burmanni II. lacunam. Scaliger emendavit *Lucreti*, quae conjectura cum plerorumque interpretum assensum tulit tum ab Hemsterhusio prorsus admirabilis vocatur. Burmannus, ut solet, quae ex diversis interpretum sententiis eligenda sit, dijudicare nequit; Lachmannus tamen de Scaligeri conjectura subdubitans: „Fortasse, inquit, non vere." Et profecto non modo vera, sed ne verosimilis quidem haec vocari meretur conjectura. Quomodo enim poeta unam eandemque rem *aut* particula disjungere potuit? Verba enim: *rerum dicere posse vias* jam Epicurum ejusque asseltas significant, quorum tamen de philosophia prudenter nihil praeter eam partem, in qua de rerum natura agitur, commemorat; quam disputationem eodem modo respuit

Leontium in ep. ad Lamiam ap. Alciphronem p. 210 ed. Bergl. neque enim ceterae hujus philosophiae partes adeo severae fuerunt, ut Propertio ab his amicum deterrere opus esset. Ausonius ep. IX:

> Est jocus in nostris, sunt seria multa, libellis:
> Stoicus has partes, has Epicuris agit.

Adde quae supra a nobis disputata sunt. Deinde vero cum, qui sequenti versu senex vocatur eundem cum illo in praecedentibus commemorato esse, necesse sit, Scaligero et qui cum eo senserunt, probandum erat, Lucretium *senem* dici posse, qui tamen e Lambini certe ratione annum agens XLIII. mortuus est. Romani autem nomen evanuisse Scaligero concedo; nam quod Burmannus contra affert argumentum Graecum poetam requiri, hoc parum est firmum. *Tyrtaei* quod Heinsius conjecit neque aptum videtur et nimis a codicum scriptura recedit. Hoc nomine magis laudanda est Astii conjectura: *Aratea*, sed nimis incerta est ob productionem brevis syllabae ante arsin. cf. Huschk. ad Tib. 1, 7, 61. Si etiam codice Scaligeri confirmaretur emendatio, equidem tamen eam improbarem, fortasse legendum suspicatus: *Lucili*. Hoc Latinarum litterarum ingens decus et commode *senex* vocari potest quoniam secundum Romanorum leges in aetatis suae anno XLVI seniorum centuriae annumerabatur (sic enim jam Cruquius notum illum Horatii locum, ubi Lucilius dicitur senex, interpretatur) et ut hoc loco *vester* sic *noster* Lucilius audit Ciceroni de finib. I, §. 7. Utriusque ceterum vocis Lucretii et Lucilii confusio interdum deprehenditur.

CAP. II.

DE QUIBUSDAM PROPERTII IDIOTISMIS.

Doctissimus hic Romanorum poeta Graecos scriptores et in carminum argumentis et in singulis verbis ita imitatus est, ut Mureto in eo pleraque esse transmarina affirmanti debeamus assentiri. Cujus quidem rei nonnulla exempla producamus, non ut id quod diximus,

comprobetur, satis enim est notum; sed ut complures versus ab editorum defendamus conjecturis.

II, 24, 35: (el. 19 ed. Burm.)

> Ii tibi nos erimus, sed tu potius, precor, ut me
> Demissis plangas pectora nuda comis.

Sic scripsimus, cum vulgo legatur *pectore* e Scaligeri correctione, quam tamen Lachmannus non sine ratione impugnavit. Miror autem cur idem Graecismum *pectora* neget in hac quidem compositione ferendum, cujus equidem sententiae causam exputare nequeo, quamquam si *pectore nuda* codicum auctoritate confirmaretur, orationem magis perspicuam esse negare nollem. Lachmannus igitur sic scripsit:

> precor, *in* me
> Demissis plangas *pectora* nuda comis.

Conjectura apta quidem, sed non necessaria, cum justa desit causa a codicibus recedendi. Graeci ceterum satis frequenter sic locuti sunt. v. c. Soph. Oed. Col. v. 114:

> *σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα*
> *κρύψον*

Atque similiter e Latinis Cato ap. Suet. V. Terent. c. 1: Itaque e conspectu omnium abiit *Graeciam in terram ultimam*. Virgilius:

> Arma virumque cano Trojae qui primus ab oris
> *Italiam* fato profugus *Lavinia* venit
> Litora.

Propertius I, 19, 1:

> *Illic* Phylacides jucundae conjugis heros
> Non potuit *caecis* immemor esse *locis*.

Graecorum exemplis defendit Huschkius ad Tibullum p. 261. Comparari potest Latina locutio: *ad me abducere domum*, cujus exempla Ruhnkenius dedit in Dictatis in Terent. p. 98. Fortasse etiam in Ciceronis Philipp. XIV. §. 8 verbis: „Quaeque esset facturus nisi eum *hinc* ipse Juppiter *ab hoc templo* atque *his moenibus* repulisset." non opus est ut cum Ferrario et Ernesto *hic* p. *hinc* corrigatur.

Propertius I, 2, 13 sic scripsimus:

> Litora nativos col• (per) lucent picta lapillos

Nolo tamen dissimulare, *nativis — lapillis*, ut Lachmannus scripsit, ob codicum, qui hanc praebent scripturam, praestantiam videri praeferendum, cf. etiam Huschk. ad Tib. p. 195. Propert. II, 4, 5. (2, 14 B.):

Sic primo juvenes trepidant in amore feroces
Dehinc domiti *post haec* aequa et iniqua ferunt.

Eldikius p. *post haec* legendum: *fortes* censuit, conjectura valde infelici, nam et nimis recedit a codicum scriptura et inepta est, cum juvenes illi ante feroces, domiti, non fortes sint, sed timidi et parati ad omnia dominae mandata servilem in morem peragenda. Probavit tamen Wyttenbach. Bibl. Cr. II, 2; silent Burm. et Lachmannus. At sic Aristophanes Avib. v. 811:

εἶτα τοῖς θεοῖς
θῦσαι μετὰ τοῦτο.

Notae sunt Graecorum locutiones *χάριν ἕνεκα*, et quae aliae sunt; permulta sed paullulum inter se diversa congessit Lobeckius ad Phrynich. p. 754, n; alia dedit Hermannus ad Soph. Philoct. v. 550, ad cujus fabulae v. 1088 cf. Wakefieldum. *Αἰεὶ παράμερον* ap. Pindar. Ol. I, v. 160 unice recte a Boekhio et Passovio Lex. s. v. explicantur, neque aliter Soph. Oed. Col. v. 675. adde Reisig. Enarr. v. 681. Exempla e Latinis petita Broukhusius praebet ad nostrum l. *Deinde deinceps* Tullio dicitur de leg. III. §. 4, ubi interpretes fugit locus de divinat. I. §. 64. *Repente e vestigio* docte explicat Garaton. ad Divinat. in Caecil. c. 17. Observandum tamen est illas dicendi formulas, ut *προτέρον προὀῤεθηναι* Platoni, Thucydidi, Demostheni et optimo cuique Graecorum scriptori usitatas, rarius apud Ciceronem ejusque aequales reperiri, omnium autem frequentissime apud Suetonium v. Bremium ad ejus Caesar. c. 2. Günther. ad Nep. Alcib. c. 6. Poetae tamen excipiendi, quocunque tempore Graecorum imitatores v. Passerat. ad II, 18, 12.

Venire ut Graecorum *ἔρχεσθαι* apud Propertium p. *esse* poni cum a Burm. et Passeratio saepius monitum est tum a Bahrdtio Ind. Verb. s. Idiotism. n. 7. neque aliter Tib. I, II, 76 ubi, si *venit* idem esse cum *est* statuamus, cum Huschkio praepositionem minime

desideramus. Ejusmodi inter locos referendus videtur v. 2 el. 24 l. II, (19, 38 B.)

Unica nata meo pulcerrima cura dolori
Excludi quoniam sors mea saepe *venit.*

vulgo legitur:

Excludi quoniam sors mea, saepe *venis.*

Quae scriptura quam absurda sit egregie docuit Lachmannus, quem eo magis miror hanc excogitasse emendationem:

Excludi quoniam fors mea saepe *vehit.*

Nihil vero aptius est quam quod nos dedimus: *sors venit* i. q. *est*. Est enim *sors*, πάθος, cum *fors* sit τι φέρον ἐκ θεοῦ v. Porson. et Schaef. ad Eur. Orest. v. 2. et Reisig. Enarr. v. 1686. Lachm. scripsit: *fors* recte quidem, si *vehit* scriptura librorum esset. Hanc *venire* v. significationem Livii etiam verbis inesse puto l. III c. 2 §. 10: „His vocibus irritatus miles in diem posterum in castra reducitur, longam *venire* noctem ratus, quae moram certamini faceret." Sic etiam *stare* p. *esse* dictum videmus addita tamen longinquitatis et continuationis notione v. c. III, 19 (17 B.) 20:

Infamis stupro *stat* Pelopea domus.

i. e. Aeterna labe maculata est Pelopis gens. in eod. l. 4, (3, 23 B.) 1:

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina praelia dura mea.

Quo de loco egregie Schaeferus ad Julian. p. XVI, postquam Graecorum locutionem πόλεμος ἐνέστηκε explicaverat: „Interpp., inquit, maxime Broukhusius, immemores Graecismi, fluctus in simpulo excitant." Joh. vero Livinejus et N. Heinsius *sat mihi* conjecerant, quod Lachmannus recepit. Sed codicum scriptura, si recte explicaveris, eandem praebet sententiam. Poeta hoc vult: Nolim militiam capessere, cum, ut amans, pacem colam et tam continua mihi sint cum domina praelia, ut his gerendis satis habeam; praeterea (quod in sequentibus dictum) ne avaritia quidem, quae nulla est in me, ad arma sumenda adduci possum. Igitur sat mihi sunt bella amatoria. Eandem correctionem in Lucanum inferre Jeverus voluit I, v. 135:

Stat magni nominis umbra.

dicens: „*Sat* legendum esse ultra res clamat." Quod Lucani menti plane contrarium, qui Pompejum non accusare, sed potius excusare vult. Umbra solum mansit magni viri, qui tamen ipse profecto numquam, ut Severus vult, nominis umbra contentus fuisset. Valeri Flacc. Argon. VIII, 194:

Sat mihi, non totis Argo redit ecce corymbis.

Stat mihi Burm. liber, ut Heinsius conjecerat; omnino recte neque audiendus Burmannus. Sed nondum versus est sanus. Scribe:

Stat mihi: non totis Argo redit *haecce* corymbis.

Quid sibi *ecce* velit, ignoro; *haece* egregie convenit puppis magistro vivida oratione hujus viae pericula monenti. Ea autem significatio *stare* verbi, de qua supra egimus, mea sententia apud Propertium reperitur III, 17, 29 (II, 7, 6 B.):

Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum *stetit* alter amor.

Recte quidem Lachmannus interpretes notat de Agamemnonis amoribus balbutientes, sed, quod *altus* emendat p. *alter*, me non habet assentientem. Primum enim, si conjiciendi libidini indulgere vis, eodem jure *acer* vel *ater* scribere possis. *Acer, alter, ater* saepe in libris mss. confunduntur v. ad. Val. Flaccum V, v. 431 et 595. *Acer amor* frequens est veluti Tibull. IV, 2 et Val. Flacc. III, 367. *Ater* optime hic Agomemnonis potuit dici amor, quippe qui Achivis pestem intulit: *ater* enim saepe idem valet quod valde noxius, ut Lennep. docet ad Ovid. Heroid. IX, 115, eoque magis haec vox conveniret huic loco, quia hic amor ingentis stragis causa fuit, *ater* vero fere dicitur de rebus funebribus. Incertus poeta de Fortunae vicissitudine v. 135 ap. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. III:

Briseis ut rapta est, amor *atrum* inclusit Achillem

quod non mutem; *ater* enim est *κυανόπεπλος* ap. Hom. H. in Cerer. aliquoties vel *κυανόστολος* ap. Bion. I. v. 4. *Atra parens* Stat. XI. Theb. v. 170. cf. etiam Welcker. ad Theogn. v. 913 (1199). Igitur, cum ad crisin, quam conjecturalem vocant, confugere res videatur h. l. nimis lubrica, alia est quaerenda significatio *alterius* v.

Propertius vero Graecorum ductus imitatione, apud quos ἑτέρον adversi et infelicis notionem includere tralaticium est ex iis quae Anna annotavit feminarum eruditissima ad Callimach. fr. XCI. ed. Ern. qui ipse conferendus cum Valckenario Diatr. p. 111 sq. et Wyttenbachio ad Pl. Phaedon. p. 322, hic igitur eandem inesse voluit Latinae voci significationem, quae est Graecae. Tradit etiam Festus, volucrem funestam vocari *alteram* neque aliter Livius IX, c. 17 loco a Walchio in Emend. Liv. p. 77 excitato: *Jam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum; sed clariorum tamen eum facit, quod unus fuit, quod adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit.* Sic Ovidius l. II, Fast. v. 224 de Fabiis:

Quosque vident, sternunt. Nec metus *alter* inest.

Alter igitur i. e. perniciosus amor Agamemnoni pertinaciter inerat, ita ut nullo modo Achilli cedere sustineret. *Magno* enim *Atridae* conjungenda esse censeo cum Scaligero, non *magno stetit*, quae est omnium fere interpretum opinio, Broukhusii inprimis, qui Scaligeri, ut putavit, errorem urbane excusat, dicens: Nos homines sumus. Et sane fuit magnus ille Scaliger homo, sed hoc loco minus quam in aliis defensione egens vel excusatione. Quae enim e vulgari evadit interpretatione sententia? nimirum haec: Hac clade eo tempore miseri affecti sunt Graeci, quo tempore Atrides magnum accepit detrimentum. Egregium distichon, quod nullam aliam contineat sententiam, quam hanc: Multa passi sunt Achivi eorumque dux. Quodsi hic est verborum sensus libenter ignosco Mitscherlichio Lectt. in Catullum p. 163 p. *ignaros* conjicienti *ingratos*, conjectura plane supervacanea, cum optime explicent nescientes unde malum venerit. Quid porro detrimentum vel damnum passus est Agamemno, cujus quidem dona magnifica illa Achilles accipere sprevit? Curae fuerunt certe illi ob adversam belli fortunam acerrimae, sed hae ei non magno steterunt. *Magnus* vocatur Agamemno vel ob dignitatem v. Spanh. ad Callim. H. in Jov. v. 2, vel etiam ab aetatem, ut Theocrito dicitur Menelaus ὁ νεωτέρος Ἀτρέως υἷος et Ovidio Atri-

des major et minor. Itaque nostri distichi sententia gemina est Horatiano:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Atque poeta dicere voluit: Agamemno adeo captus fuit amore, ut nullis precibus flecti posset; pertinax insedit animo amor. cf. Senec. Agamn. v. 175 sqq. qui locus unice huc spectat. Ceterum de vi *stare* v. cf. ne alia exempla producam Heynium ad Tib. 1, 1, 68 ipsumque hunc poetam I, 6, s. f. ubi cod. Paris. et ed. a. 1472 *simus* habent ex interpretatione.

Quantum Graecarum litterarum scientia in Propertio et explicando et emendando proficiat, id Hemsterhusii exemplum luculenter docet, quo nemo felicius in nostro versatus est poeta. Inprimis egregia sunt quae ad el. V, l. I. explanandam attulit. Neque tamen ei v. 3:

Quid tibi vis, insane? meos sentire furores

emendanti:

Quid tibi vis insane? *meae* sentire furores.

assentiri possum, quamquam fecere Burmannus Lachmannusque. *Sentire* enim accipio ea significatione qua de eo dicitur, qui aliquid ad suum ipsius damnum experitur, de quo usu jam Forcellin. monuit. *Amor* p. *amante* millies legitur, D'Orvillius recte dicit ad Chariton. p. 318 ed. Lips. quamquam saepius injuria hanc vocem sic explicarunt, veluti Broukhusius ad Prop. p. 408 b, ut bene observat Santenius ad Catulli Eleg. ad Manl. v. 117; in Theocrito enim loco intelligendi sunt Cupidines, quos nollem Lachmann. expulisset e Propertio. Probe contra Pius explicavit Valer. Fl. VI, v. 121 ab aliis frustra tentatum. Prop. IV, 7, 5:

Cum mihi somnus ab exsequiis penderet *amoris*.

i. e. amatae Cynthiae. Eodem igitur modo aliae voces pro cujusque loci ratione diversae p. amante ponuntur. Sic ap. Prop. I, I, 35 et II, 25, 9 ed. B. *cura* p. *puella* v. Huschk. ad Tibull. II, 3, 31, qui ipse meae sententiae favere videtur ad III, 4, 82, Bloomfield. ad Sapph. fr. LXXXII. Burmannumque ad Valer. Flacc. VII, 208, qui versus nondum persanatus. Phanocles ap. Ruhnk. ep. cr. II, p. 299: ἕζετ' ἀείδων ὃν πόθον et apte quidem cum abesset dilecta Eurydice. Sic Graeci quoque

φιλότης p. φίλε v. Ast. ad Plat. Phaedr. c. 3. Non absimile D. Augustin. Confess. l. I. c. 6: *dulcedo mea, deus,* c. 20 et saepissime. adde Livinej. ad I, 19, 9. *Ignem* pro *amore* dici non opus est, ut exemplis confirmem: prompta sunt Bentleji verba ad Hor. A. P. v. 441 et Titii ad Olymp. Nemesian. Ecl. IV, 5. *Ardor* Ulixes vocatur a Calypso Prop. II, 17, 13 e Mitscherlichii supervacanea conjectura cl. Huschk. ep. cr. p. 53. *Furor* ut in nostro, de quo agimus loco, Virgil. Ecl. X, 38:

Certe sivi mihi Phyllis sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor.

Furorem autem vocat Propertius illum amorem, quia Cynthiae animum satis irritabilem significare vult. Geminus est locus in Ciri v. 258:

Quid tantum properas nostros novisse furores?

Graecatur noster I, XIV, 13:

Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges.

quem v. si sic explicaveris: *Tum reges de mihi cedere quod attinet ad gaudia, jurejurando affirmant* non opus est Burmanni *sua* p. *mea*. L. II, 34 (25) 53:

Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.

Optimi libri: *restaverit undas,* quod Marklando, D'Orvillio, Heinsio, probatum, ego item recipiendum censeo. Formam nimis esse dubiam existimat Lachmannus. At si semper ita in veterum libris forma tantum exacte regulae respondens reciperetur, nullus nunc restaret locus, ubi scriptor ratione a vulgari dicendi genere discessit. Ratio autem fuit euphemismus; ampliorem cum *explicavi* sonum habeat, Tullius ab altera forma constanter abstinuit. *Constatuturus* item dicitur, de qua forma cf. Forcellinium. *Vetavit* etiamnum apud Persium legitur V, 90 quamquam Plancianum *vetaveram* in *vetueram* Ernestus e libris et scriptis et impressis mutavit, consentientem habens doctissimum Hier. Lagomarsin. ad Gratian. II, p. 171: „Dixi, inquit, alibi mihi *vetarunt* p. *vetuerunt* non satis placere." Pleraque colligit vir indefessa diligentia Ruddimannus in Institutionibus suis. Ceterum, si ad conjecturas in hoc loco confugiendum sit, dubito, utrum Huschkiana an Was-

...nbergii correctio praeferenda sit; adhuc tamen retineo librorum scriptorum.

Alia vox, in poetis non adeo obvia, est II, 28 (21) 9:

Num sibi collatam doluit Venus? illa *peraeque*
Prae se formosis invidiosa dea est.

Sic hunc locum Huschkius adduxit ad Tib. I, 2, 78. Sic etiam legitur in editionibus praeter Lachmannianam, ubi ita:

Num sibi dollatam doluit Venus ipsa paremque
Per se formosis invidiosa dea est.

De *ipsa* p. *illa* cf. Huschk. ad Tib. I, 4, 72, *paremque* Groninganus cum nonnullis aliis habet, quamobrem Lachm. sequentem v. e coniectura mutavit. *Paremque* aperte natum ex verbo minus intellecto, quod Passeratius probe explicat. cf. Heins. ad Tac. Annal. VI, 5. Verbum Gajo inprimis usitatum v. Instit. I, 1, I. §. 52, nostrorum est: *durchweg*. Illa autem κάλλει ἀριστεύοισα θεάων πότν' Ἀφροδίτα, quamquam mulierculas pulcritudine donavit, tamen eas odio persequebatur, quae forma confisae nimis gloriatae sunt. Quid otiosum in his verbis insit, non video, immo magna, nisi fallor, apparet poetae elegantia, qui Cynthiam quidem Veneri praecellere concedit, tamen, ut deae cedat irae, admonet.

Inter Propertii idiotismata, *ocellorum* v. usus quoque numerandus est. Hac enim voce poeta, ita ut nemo veterorum delectatus est: quindecim enim legitur et prioribus quidem libris, numquam quod sciam ultimis duobus. Nunc nonnulla de enallagis usu. Mirandum sane est, complures Propertii editores offendisse I, 3, 20:

Argus ut *ignotis* cornibus Inachidos

ipsumque etiam Heinsium, cujus enallagen ubique inferendi studium Drakenb. notat ad Sil. Italic. I, v. 376 p. *ignotis* conjecisse *immotus*. Scaliger edidit *uti notis*, Francius, Marklandus, Burm. qui tamen *ignotis* optime defendit, *ignotae* voluerunt, quam conjecturam nescio cur *egregiam* vocare dignatus sit Lachmannus. Optime jam Broukhusius enallagen explicavit, in qua nec ego umquam haesi. Euripides de eodem Argo Phoeniss. v. 1122 ed. Valck. (1131 ed. P.):

Στικτοῖς πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα

ubi nolim hanc dicendi figuram cum Heinsio negligentiam dicere. Valer. Flacc. V, 320:

et *ignoti* mens experienda tyranni

Elegantissime idem Valerius narrat Jus historiam IV, 351 sqq. quem locum etiam Broukhusius commode attulit. Frustra se torserunt eruditi homines in hujus fabulae v. 365, ubi Juno a marito, ut sibi donet vaccam, hisce petit verbis:

Ipse ego dilectae pecudi jam pascua digna
Praecipuosque legam fontes, qua fraude negaret,
Aut quos *inventos* temuisset Juppiter *astus*?

Temere ultimum versum cum editores tum D'Orvillius ad Charit. p. 611 ed. Lips. sollicitarunt; recte Pius e Maserius: „inventos a Junone: nihil enim est quod non excogitet muliebre ingenium." Nos dicimus: *erfindbar*. Cic. de fin. III. §. 7: *erat enim, ut scis, in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat.* Male Goerenzius *inexhausta* ejicere voluit: si quid enim mutandum esset, certe ultima verba majorem glossae speciem prae se ferunt. *Aestimanda* p. *aestimabilia* in eod. l. §. 61. Contra *illacrimabilis* p. *illacrimatus* et quae alia sunt hujus generis, reperitur. Quoniam vero semel Valerii mentio facta est, non possum quin Orellium notem de hoc pro tempore suo egregio poeta et inique et praepostere agentem in praef. ad Eclog. poett. Latin. Sufficiat locum indicasse; nunc ad viam redituri nonnullas enallages, quae audaciores videntur, producamus. Prop. IV, 8, 57:

Phyllidos *iratos* in vultum conjicit ignis.

ubi v. Burmannum et sic el. sq. v. 62:

Ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit *iratam* janua clausa sitim.

Ejusdem libri el. 8, 60:

Omnis et *insana* semita *nocte* sonat.

ubi *voce* p. *nocte* cum Fruterio, Passeratio, Heinsio legendum censent Burmannus et Heynius ad Tibullum p. 68 ed. noviss. quam tamen conjecturam improbasse videtur Lachmannus. Recte. *Insana nox* est ea, in qua omnia confusa, omnium animi ira, timore, spectandi cupiditate oppleti. Festiva ceterum tota haec descriptio

Videndum autem est, an his defendi possit librorum scriptura I, 16, 38:

Quae solet *irato* dicere *tota loco*.

Te non laesit lingua mea ejusmodi verbis, quae ea eloqui solet loco qui iram excitat. *Quae tota* nostrorum est: *Was alles*. Durior crebro est apud nostrum verbum conjunctio. Lib. II, 32, 53 (23, 110):

His mos Saturno regna tenente fuit
Est cum Deucalionis aquae fluxere per orbem
Et post antiquas Deucalionis aquas.

Valckenar. Callimach. p. 101 post *fuit* periodum finiri voluit, ut sequentes vv. unam efficerent enuntiationem, praeterea Marklandi inutilem conjecturam *antiqui* probans. Lachmannus, quod omnium maxime incommodum est, post *aquas* incidit hac addita causa: „Propertius rectissime peccasse puellas negat,

cum Deucalionis aquae fluxere per orbem

cum supererant duo in toto terrarum orbe mortales,

Et post antiquas Deucalionis aquas,

quia tum paucissimi erant lapideum genus." Quae omnes correctiones eo laborant, quod *Deucalionis aquae* sine ulla vi repetuntur. In Valckenariana deinde scriptura id falsum est quod dii amaverint cum Deucalionis aquae fluxere, quod fieri potuisse non credo. In Lachmanni, si diis placet, emendatione, ut alia omittam, quaero, quo potissimum tempore, quod erat a poeta declarandum, dii inceperint amare? Dii autem vere statim post diluvium illud amaverunt, quod Ovidius libro I. Metam. docet, ubi, finita Deucalionis fabula, ad Daphnidis historiam v. 452 transit, neque obstat Virgilii locus a Lachmanno allatus:

Aque Chao densos divom numerabat amores.

Nam a Chao est post Chaos compositum; scribendum igitur:

Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem.
Sed post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae dea cum solo vivere sola deo?

Idem fere, ut postea vidi, voluit Vulpius *At* p. *et* conjiciens, ut Burmanni I. habet.

Varie ab interpretibus tentatus est locus II, 24, 35 (19, 47 B.):

At si secla forent *antiquis grata* puellis.

At scribendum videtur cum Lachmanno optimos libros secuto; *et* vulgo legitur. Majorem tamen difficultatem *grata* v. movit, cujus vocis, quas conati sunt, correctiones enumerat Lachmannus; *nota* voluit Wyttenbach. Bibl. Cr. II, 2. Ipsi mihi aliquando in mentem venerat *apta*, quod sane facillimum est et confirmatur cum loco ex Ovidio adducto ap. Broukh.:

Prisca juvent alios: ego nunc me denique natum
Gratulor. haec aetas moribus *apta* meis.

tum Amor. II, 14, 9:

Si mos antiquis placuisset matribus idem.

ut Livio saepe *antiqui moris* femina commemoratur. Sed nunc nihil mutandum censeo: est enim inversio qualis illa III, 1, 4:

Itala per Grajos orgia ferre choras.

et I, 17, 21:

Illa meo caros donasset funere crinis.

ubi v. Passerat. neque aliter Pindar. Olymp. I, 19:

νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν.

Severus Sanctus Carm. Bucolic. v. 5 (ap. Wernsd. T. II p. 218):

Aegon, quaeso, sinas alta silentia
Aegris me penitus condere sensibus.

Interrogationis signum, quod in Wernsdorfiana legitur editione, plane alienum est. Valer. Flaccus V, 534:

fingit placidis fera pectora dictis.

vix ferri potest. Foecundum Heinsii ingenium excogitavit *fregit*, quod iccirco rejiciendum videtur, quia sententiarum nexu dissimulatio odii, quo rex adversus importunos advenas arsit, exspectatur. Fortasse *cingit* legendum, quod verbum apud poetas interdum idem valet quod alioqui *celat*. *Tingit, cingit, fingit* saepe confundantur in libris. veluti ap. Prop. III, 2, 31, ed. B. Apud Sueton. Octavian. c. LXX:

Cum primum istorum conduxit mensa choragum.

adhuc probo Ernesti explicationem; quam Bremius attulit, nondum veram esse puto, multo minus autem ejus judicio, quod de Hypallagis h. l. tulit, accedere possum. Inprimis autem frequens est enallage in *primus* v. cf. Heins. et Drakenb. ad Sil. Italic. II, v. 235. Ut in loco Propertii, de quo modo agimus, antiquae Deucalionis aquae dicuntur, sic II, 23, 18 B.:

Et canere antiqui dulcia furta Jovis.

In codicibus autem crebra est hac in re commutatio v. Burm. ad II, 13 (11) 2: *magnae Laomedontis opes*, ubi Markl. *magni* voluit, quod merito Burm. et Bosscha in Actis Soc. Ultratr. III, p. 209 improbarunt. *Mites Hieronis opes* ap. Sil. Ital. XIV, 653 explico opes a rege clementissimo ad artes pacis adhibitas. Sic fere etiam Gronovius Obss. III, c. 7. Exempla hujus figurae etiam apud pedestres reperiuntur scriptores ipsumque Ciceronem. Inter poetas frequentissime ea utitur Ovidius, rarius Maro. Verissima sunt quae hac de re V. D. praecepit Misc. Obss. T. I, 2 p. 85. cf. etiam Erfurdtum ad Soph. Oed. T. v. 1387. Hermannum ad ejusdem poetae Philoct. v. 1106. Matthiam denique ad Euripid. Phoeniss. v. 30. Exempla Index praebet Lucretii Bipontini s. *species verna diei*. Phaedri locum I, 2, 10 recte expedivit Burmannus. — Addam nunc, quoniam de Graecorum imitatione dictum, Propertii II, 32, v. 32:

Et sine decreto viva reducta domum.

pene expressum videri Aristoph. Ranis, 1176:

Λάθρα γὰρ ἦλθεν οὐ πιθὼν τοὺς κυρίους.

Sed ut taceam de *est*, quod nunc ejectum, a libris scriptis et impressis, tantum diverso loco retinetur, ne Santenii quidem conjectura *sine dedecore est*, omnem difficultatem tollit. *Viva* enim plane aliena est vox. *Salva* legendum requirit sententia, ut II, 9, 3 (7, 41) quem l. Forcellin. bene componit cum Livio I, 58 §. 7, adde Ov. III, Am. 4, 23, quare nolim in illo loco legere *sola* quamvis huic conjecturae momentum accedat e v. 20 (58).

CAP. III.

PROPERTII ALIORUMQUE SCRIPTORUM LOCA QUAEDAM ET EXPLICANTUR ET EMENDANTUR.

Quod Tibulli editoribus contigit, ut in initio statim hujus carminum magnis se premi videant difficultatibus, idem Propertii interpretibus accidit. Plurima quidem in prima elegia Hemsterhusius egregie explanavit, in eo tamen, ut mihi videtur, falsus quod v. 12:

Ibat et hirsutas *ille videre* feras.

vulgatam tutatur scripturam Graecorum usus exemplis in quibus videndi verba notionem experiundi assumpserunt. Idem Lachmannus exemplis e Latinis petitis probare studet, quae tamen pariter atque Huschkii loca ad Tibull. I, 2, 56 huc non faciunt. Usurpant fere Romani verba *videre* et *noscere* de iis qui locum quendam periculosum adeunt praesertim Tartarum v. Jahn. ad Ovid. Met. IX, 20 et Burm. ad II, 20, 7, 72. At semper primaria manet notio, ita ut, quod exempla ab illis congesta docent, ne opus quidem esse videatur, ut videre p. experiri dictum esse statuamus. Magis aptus ad codicum scripturam tutandam locus Statii est Theb. VII, 673 de leone: *praedam videt et sua vulnera nescit.* Sed hic idem alienus est, ut Callim. in Dian. v. 103. In nostro vero loco Milanion venatur, nec vidit tantum feras, nisi forte jam illis temporibus bestiae claustris domitaeque fractaeque spectatoribus pecunia data ostendebantur. Apud Vellej. P. II, c. 101: quas non primo anno acies hostium *vidimus?* Verbum illud pariter languet. *Fudimus* quae est Heinsii divinatio, pr. Ruhnk. Heinsii conjecturam in nostro loco *ferire* Broukhusio, Burmannoque probatam a D'Orvillioque laudatam ad Charit. p. 532 ed. Lips. Lachmannus propter insuavem earundem vocalium repetitionem rejecit, quod probo; accedit enim quod et illa nimis recedit a *videre* v. et alia restat difficultas a nemine, quod sciam, intellecta, quae in *ille* latet. Nihil enim verius est observatione cum ab aliis tum a Broukhusio alicubi ad Tibullum facta, hoc pronomen numquam sine vi poni. In hoc autem loco

ille displicet habetque nescio quid in quo attentus offendat lector. Persimilis est locus II, 22, (29) 16 ed. B. ubi bene tamen se habet. Non solum enim dii, sed etiam homines, quos praecipue colimus, hoc pronomine significantur. Terentian. Maurus Virgilium vocare solet *illum* v. Santen. ad c. II. v. 457 et hoc frequenter. Lege igitur:

Ibat et hirsutas *sollicitare* feras.

Quae emendatio, facillima a palaeographia, egregie confirmatur ab Ovidio frequenti Propertii imitatore Amor. I, 7, 14:

Moenalias arcu *sollicitasse* feras.

Rarior tamen haec est vocis significatio, cum alioqui *agitare* vel *fatigare* de venatu dicantur. Laudandus est Lachmannus, quod sententia poetae, quam multis turpiter latuit, optime perspecta in l. I, 2, 9 *quos* reposuit. Inest tamen v. mox sequente:

Surgat et in solis *formosius* arbutus antris

adhuc mendum, cum illa *formosi* vocis repetitio vix ferri possit. Duplex enim est repetitionis genus, alterum quod orationis vim augeat, ut in Statii loco a Burmanno allato, quem vellem Marklandus versum non tentasset, et ap. Horat. Od. I, 3, 25, ubi v. Jahn. anotationem, in qua tamen diversa miscentur, alterum autem id, quod e negligentia scriptorum habet ortum, de quo genere infra dicemus. In neutrum tamen genus hic cadit locus. Orationis vim hac repetitione valde diminui, quisque, opinor, sentiet; negligentiae autem culpa iccirco aliena est, quia haec in epitheta cadere non potest, quorum in apta variatione optimus quisque poeta summam curam et collocavit et ponere debuit. Nunc vero quae ex emendationibus, quas eruditi fecere viri, eligenda sit, difficile videri possit. Burmannus vult: *pomosior*, Lachmannus: *felicius*, Heinsius et Bentleius ad Hor. I, Carm. 12, 45: *frondosior*, quam conjecturam unice veram esse versus huic oppositus docet 3:

Aut quid Orontea *crinis* perfundere myrrha.

Quod enim homini crines, id arbori frondes. Ov. Met. XIIII, 847:

Turpis sine frondibus arbos.

Adde Bunem. ad Lactant. Carm. de Phoenice v. 10 Spanh. ad Callim. H. in Dian. v. 41. Taceo igitur quae praeterea Heinsius Bentleiusque tentarunt, cujus tamen popularis Wakefieldus admodum ingeniose ad Lucret. II, 678 in v. 9 pro *humus formosa* legendum censuit: *humus non versa*.

I, 6, 34:

Ibis et accepti pars eris imperii.

Quae poetae verba Tullo cuidam in Asiam profecturo dicta pro sanis haberi posse, neque ego nec alii crediderunt. Lachmannus: accepti *sors. erit*; quod durum ac vix ferendum; certe exempla ab ipso producta non quadrant. *Acceptis par eris imperiis* Passeratius voluit, quod prima fortasse specie blandiatur. Parem autem esse negotiis mediocris laus est, inepta in poemate. Tac. Annal. VI, 39: *Poppaeus Sabinus concessit vita — maximisque provinciis per XXIV annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.* Aliter id. III, 30: *ingentibus negotiis par.* In utraque tamen conjectura, *pars* v. cur sollicitetur, neque causa est et displicet. Partem esse alicujus rei de eo dicitur qui inter suos excellit; cujus formulae elegantia nec Lachmannum fugit exempla proferentem. Adde Ovid. Met. IX, 695:

Pars o! Telethusa mearum.

v. ep. ex Ponto I, 6, 16. 8, 2. Sen. Herc. fur. v. 725. Consol. ad Liv. Aug. 267. Sil. Ital. X, 223. XI, 506. Igitur in eo cum Heinsio convenio, solam vocem *accepti* corruptam esse, cujus tamen correctione *asserti*, neutiquam, ut jam alii videre, clarior redditur sententia. Fortasse *Augusti* legendum, quod eo magis placet quo saepius nomina propria a librariis corrupta sunt. In Vellejo Paterculo I, c. 10: *L. autem Paulo, magnae victoriae compoti.* Ruhnkenio illud *magnae* friget, quamobrem *Macedonicae* vult. Ceterum, si Augusti legimus, simul Nobbii rationes concidunt in Specim. Obss. in Propert. p. 31.

El. X, v. 17:

Et possum alterius curas sanare recentis.

Recentes curae, quae sint, alios jam ignorasse eo apparet quod *dolentes* nonnullis in libris legi auctor est Latinus

Latinius; neque etiam Jacobsii tulit stomachus, *vegentes* conjicientis. At Lachmannus Broukhusium secutus interpretatur: dum recentes sunt necdum inveteratae. Quod poetae sententiae plane contrarium arbitror. Cum enim hic in verbis suis esse summam medicinam doceat, necesse est, ut res, quibus medicaturus est, epithetis exaggerantibus augeat, non, ut e Lachmanni interpretatione fit, minuat. Quem praeterea affert Tibulli versum I, 2, 1:

> Adde merum vinoque *novos* compesce *dolores.*

eum bene explicaverunt Wunderlichius et Huschkius, quamobrem hunc item Propertii v. advocasse miror. Recentes curae sunt eae, quas non a multo tempore sensi, quocirca acriores sunt quam inveteratae. Prop. ipse II, 5, 9:

> Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.

Livius XXI, c. 52: *recentis* animi alter eoque ferocior. Plin. Panegyr. c. 23: Quam *recens* clamor i. e. ut Forcellin. explicat, qui omnino de hac v. consulendus, vigens clamor. Ovid. ep. ex Ponto II, 4, 16:

> Hoc pretium curae dulce *recentis* erat.

Sic Virgil. Aen. VI;

> Riparumque toros et prata *recentia rivis*
> Incolimus.

Quo cum loco commode comparandus Lucret. V, 282:

> Irrigat assidue coelum candore *recenti.*

Tecta *recentia* sertis Valerio Flacco dicuntur. Utrumque conjungit auctor dial. de Oratt. c. 6: Sive accuratam meditatamque affert orationem — sive „*novam recentemque* curam, ubi jure Ernestus satis accuratam desiderat oppositionem; nihil tamen mutandum recte Oberlinus censuisse videtur. Ad Tibulli locum pertinet Sil. Ital. VIII, 101 de amore:

> spondentque *novis* medicamina *curis.*

I, II, 18 Poeta de Bajis locutus:

> Sed quod in hoc omnis parte timetur amor.

Lachmannus pro *timetur* scripsit *veretur* sine ulla librorum auctoritate. Verba, quae vocant synonymica saepius quidem confugiuntur ut *πλοῦτος* et *χρήματα* ap. Aeschyl. Pers. v. 844 c. a Porsono Advers. p. 187, *καμῶν* et *πόνων* ap. Eur. Troad. v. 282 ed. Seidl. ut ap. Ho-

rat. epod. XVII, 64 epp. I, 1, 44 et Prop. I, 16, 25 *labor* et *dolor* et aliis inumeris locis; sed ut ad hoc artificium confugiamus, non opus est hoc in versu. Ut breviter meam aperiam sententiam, sic est locus intelligendus: Amor (amans) timet sibi (timetur) in hac regione. Partem p. regione dici vel Lexica docent quibus Gronovius praeivit Obss. II c. 13. Plura ad Bajas nostrumque v. spectantia loca v. apud Wernsdorfium Poet. Lat. min. T. I. Exc. XI. Amor p. amante dictus, de quo loquendi genere supra actum; nunc Goerenzium strictim notamus hac figura abusum in explicandis Tulli verbis de finib. III. §. 1: *Voluptatem concessuram esse dignitati* quam ultimam v. putat dictam p. *digniori quam ipsa est.* Multo rectius jam et simplicius Forcellinus *dignitatem* exponit *honestatem.* In versibus qui sequuntur poeta suum erga Cynthiam amorem sic testatur e vulgari scriptura:

An mihi non major carae custodia matris
Aut sine te vitae cura sit ulla meae?

Versus sic scriptos mendo laborare nemo non videt; sed in diversa abeunt critici, quorum conamina vide in annot. ubi l. 4 dele *Lachm.* qui nihil nisi *an* in *ah* mutavit. Magnopere autem vereor, qua in re Huschkium habeo consentientem, ut illa ratio, qua hodie multi exclamationes, ut scilicet oratio vividior existat, in scriptores inferunt, a simplici veterum mente abhorreat, qui nec lacrimosis nostri temporis tragoediis nec poematis exclamationum plenis assueti erant. Simplicissima mihi visa est emendatio quam in textu dedi, neque ea longiore indiget defensione. Quae sit *matris custodia*, Passeratius docuit neque audiendus Vulpius. In versu, qui mox sequitur, Lachmannus bene *tempora* exponit, cujus disputationi adde doctissimum Beierum ad Cic. de Offic. II, 1 s. f.

El. XIII, v. 17:

Et cupere *optatis* animam deponere labris.

Qui versus quomodo sollicitari potuerit, vix credibile est; quod tamen factum a doctissimis viris, Burmanno majore et Wernsdorfio Poet. Latt. min. T. IV, p. 321; qui *aptatis* legendum censuerunt, quam, si diis placet, emendationem probarunt Burm. sec. et Santenius ap.

Hauschk. ad Tibull. p. 128, qui ipse, cum antea in ep. crit. p. 36 *oblatis* conjecisset, nunc tandem in vulgata acquievit, allato Virgilii loco peregregio in Aen. VII, v. 405; sic de ipsis labris idem Virgilius aut quisquis est qui *Cirin* composuit v. 496: *et multis optata labella.* Proba etiam Lachmannus annotavit in eo tantum errans quod Anthologiae Latinae locum corrigere voluit minime ope indigentem, quo *stupet* eleganter de novae rei admiratione dicitur, quomodo fere Propertius:

Sic primo juvenes trepidant in amore feroces.

v. Gellium N. A. X, c. 8 cum Gronovii annot. Optatus autem is locus dicitur, ad quem cum multo labore et periculis pervenimus; deinde apud poetas eroticos ad dominam transfertur duram et raro aditum praebentem. Frequentissime autem de navigantibus usurpatur ad partum tandem venientibus. Cujus rei comprobandae causa haec Lachmanni annotationi exempla addantur. Virg. Aen. I, v. 172. Prop. el. sq. v. 9. XVII, 18. Val. Flacc. V, 178. Cic. Arateis v. 133. Stat. X. Theb. 442. Inc. poeta ap. Wernsd. T. IV, p. 318. Sil. Ital. III, 555: IV, 264. XI, 488. Seneca pro h. v. dicit *expetitus* Agamn. v. 401 et Thyest. v. 509 vel *cupitus* in Hippol. v. 837. *Optatae Jovis epulae* Hor. IV, Carm. 8. In ejusdem elegiae v. 34 cum Lachmanno optimos libros sequente *utere* reposuimus pro vulgato *urere* et sic voluit etiam Eldikius. *Uti* enim absolute dictum contemptum aliquem exprimit nec nisi de eo reperitur, qui vulgivagam et venalem sectatur amorem. v. Tibulli versus a Lachm. laudatos, quibuscum Graecorum in χρῆσθαι v. usus consentit. Xen. Mem. I, 2, 29, nec aliter Aristoph. Nub. v. 1078:

Χρῶ τῇ φύσει, σκίρτα, γέλα, νόμιζε μηδὲν αἰσχρόν.

Diversum contra si quid additur veluti in Stat. Silv. I, 2, 166:

Exerce formam et fugientibus *utere* donis.

Versum qui mox sequitur:

Quae tibi sit felix, quoniam novus incidit error

cum Lachm. intellexisset, eum sic nullum praebere sententiam, post *sit* interpunxit, *felix* ad posteriorem trahens partem. Incommode, si quid video, praesertim cum ironiae et quidem satis acerbae aliquid in hac secun-

da lateat elegia parte. Igitur *quoniam* vitiosum esse reor et legendum *quoties* facillima mutatione cum in libris mss. semper *quotiens* scribatur teste Oudendorp. ad Appul. Met. II. p. 90 et librarii oculi facile ad *quoniam* illud quod praecedit aberrare potuerint. Posses quidem retinere quoniam si p. postquam dictum esse acciperes, sed hic usus Plauto videtur relinquendus ejusque imitatori Appulejo Apolog. p. 431 ed. Oud. *Quoniam*, *quamquam quotiens* fere his litteris: *qm̄* in libris reperiuntur, quamobrem *quando* et *quoniam* confusa vide ap. Drakenb. ad Liv. IX, 8, 5. et in Ulpiani tit. V, p. 21 l. 19 ed. Hugo *quamquam* legendum videtur p. *quoniam*, ita ut *tamen* in apothesi omittatur, quo de usu v. librum vernacula lingua conscriptum: *Uebersicht der latein. Partikeln* p. 415. Eandem hanc correctionem Ernestus adhibuit Tullio suo Tuscul. Q. I. §. 10. *Error* autem est ut ap. Virg. Ecl. VIII:

Ut vidi ut perii ut me malus abstulit error.

Error et *ardor* interdum permutantur v. ad Catullum II, v. 8, ubi recte judicat Silligius. Felix dicitur quod alias propitius, frequenter enim verba proprie de diis dicta ad dominas transferuntur, vel potius *utilis penatibus* ut maritus de Paulina sua in Anthol. Lat. l. IV, 201, quae interpretatio sequenti magis convenit versui, ubi *quotcunque* e Dousae emendatione retinendum censeo, quamvis *perperam* sic correctum esse Huschk. affirmat ad Tib. II, 2, 9. Miram ceterum hujus loci interpretationem Kaestnerus proposuit, quam cognoscere si cui volupe erit, is ejus Animadvv. in Lucanum et Propertium adeat p. 42 sqq.

El. XVI, 17:

Janua vel domina *penitus* crudelior ipsa.

Penitus cum comparativo junctum non solum ab usu destituitur, ut Burmannus docuit, sed etiam ratione caret. Si enim dici potest penitus crudelior, etiam summe, maxime crudelior latinum est, quod tamen nemo concedet. Haec autem verba, quae absolutam, ut ita dicam, notionem continent, toto coelo a camparativo abhorrent relative tantum ponendo, neque quidquam is proficiet qui e Catullo LXI, 178 *penite magis* vel *penitior* ex Appuleii fragm. p. 606 advocaverit. Lachmannus

provocat ad Ruhnk. ad Vellei. Patercul. II, c. 27, hunc usum poetis concedentem. At, quod rationi alienum, id poetis aeque ac prosariis illicitum est scriptoribus. Prudenter etiam Ruhnken. de Propertii loco monet: „nisi nos librarii fallunt." Et fallebant sane, dum iis scribendum fuit: *timidis*. d et t, ut i et u et m semper permutantur *pedibus* et *penitus* confusa in Lucil. Aetna v. 139. infra XVII, 11:

Omnia consuevi *timidus* perferre superbae.

In illo, quem modo excitavi, Velleii loco penitus superlativo adjunctum ferrem, si conveniret satis dictioni Velleianae, quod cum non videatur, posthabita eleganti, sed longius arcessita Ruhnkenii emendatione scribo: „At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir animi bellique fortissimus *pariterque* R. nomini infestissimus." Quod dicendi genus historiarum scriptoribus satis frequens.

El. XVII, 11:

An poteris siccis mea fata *reponere* ocellis
Ossaque nullo tuo nostra tenere sinu.

Nihil in his variant libri, nisi quod *opponere* complures codices legunt, interque eos Gr. et Leid. Non offenderunt etiam interpretes in *reponere* v. explicantes: *Num tu corpus meum sepelire poteris sine lacrimis?* Cui tamen interpretationi aperte sequens v. oppositus est. Quam difficultatem Passeratius sentiens *nulla* ossa exponit *minuta*, ut I, V:

Aut cur sim toto corpore nullus ego.

et sic fere Marklandus. At in hoc v. *nullus* eum exprimit hominem quem σκιοειδῆν Aristophanes vocat, nimirum curis confectum. Jure igitur Burm. hanc rejecit interpretationem, recte dicens, Cynthiam *nulla* tenere *ossa* ejus, qui in mari periret et in litore Epyri humaretur. Quomodo autem illa tum, cum ossa ejus nulla haberet, fata (corpus) reponere potuit? Hoc sane a poeta explicandum fuit ut Phaedimus fecit, ep. IV, Anal. Brunck. p. 262, T. I. Quod Burmannum non sensisse valde mirum est, qui non solum ad h. l. sed etiam p. 297 et p. 834 a recepta scriptura nou abeundum esse graviter admonuit. Nemo, quod sciam, praeter Graevium (Heinsii enim conjectura neutiquam difficultatem tollit) vitium intellexit, qui p. *reponere* conjecit *exponere*, ipse

tamen posthac hanc repudians emendationem. Quam equidem ut facillimam probarem, si *exponere* verbum esset de iis usurpatum, qui mortuorum recordantur. Quod cum nondum mihi probatum sit, etiamnum teneo quod quinque abhinc annis conjeci *revolvere* cum primum duce *Friderico Günthero* ad Latinorum poetarum lectionem accessi, cujus viri ad regendas scholas unice nati manibus, quod vivo non potui, hic gratum meum testificari liceat animum. Tacit. Agricola s. f.: „Id filiae quoque et uxori praeceperim, sic patris sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum *revolvant.*" Adde Drakenb. ad Sil. Ital. I, v. 115 et v. Stat. Theb. VIII, 227. IX, 78. Causa corruptelae autem fuit *repetere* v. quod ad explicandum *revolvere* vocis adscriptum, in textum irrepsit, ubi, cum metro non satisfieret, in *reponere* mutatum est. *Repetere* enim et *revolvere* saepius conjunguntur veluti a Seneca Oedip. 764. Sic ap. Catull. LXIII, 45, unus liber habet *revolvit*, relicui *recoluit.* Inter illos viros, qui hunc Propertii versum attingentes, nihil vitii suspicati sunt, ipse etiam Bentleius numerandus est, qui nostrum v. excitat ad Horat. illud I, Carm. 3:

Qui siccis oculis monstra natantia
Qui vidit mare turgidum et
Infames scopulos Acroceraunia?

Bentleii conjecturam *rectis oculis* nimium recedere a codicum scriptura facile concedo; vulgatam lectionem aeque bonam vel etiam potiorem praebere sententiam affirmare non possum. Si sanus est locus, Horatium non aptissimo loco hyperbolice locutum esse fatendum. Vide autem, an non antiquitus scriptum fuerit: *Qui invictis.* Syllaba prima a praecedente v. deleta corruptelae ansam dedit, ut innumeris cum apud poetas tum prosarios scriptores locis. Quam conjecturam non certam tamen verosimilem facit Silii Italici locus III, v. 535 sqq.:

Medio sic navita ponto
Cum dulces liquit terras et inania nullos
Inveniunt ventos securo carbasa malo,
Immensas prospectat aquas ac *victa* profundis
Aequoribus fessus renovat sua *lumina* coelo.

Multo tamen facilius, fateor, Horatio illos *siccos* condono *oculos* quam illud *me* in primo carmine, quod in

novissima editione Jahnii iterum poetae obtrusum vidimus. Elegans est *vincere* v. hac in re usus. Ov. Fast. III, 20:

> Blanda quies *victis* furtim subrepit ocellis.

Adde Anthol. Lat. III, 205. Tib. I, 2 init. cum Wunderlichii annotatione.

Non minus sententia caret distichon I, 9, 13:

> I, quaeso et tristes istos compone libellos
> Et cane, quod quaevis nosse puella velit.

Utrumque versum inter se dissentire ab Heinsio intellectum esse, non ita mirum est, quam ceteros omnes nihil vitii suspicatos esse videri. Broukhusii sententia ex diversis inter se exemplis ab eo collectis intelligi nequit. Vel *sepone* cum Heinsio sive *depone*, ut etiam Burm. legendum, vel quod non uno nomine magis placet, in minore v. scribendum: *Nec* cane. *Componere*. l. h. non pro *sepelire* dici vel *abjicere* vel ex eo apparet, quod codices *tristis* habent; quod non quartum casum significare videtur, ut vulgo putant, sed vere nominativum.

Nec minus *vinci* dicitur de aedificiis, pro quo frequentius *frangi* reperitur. Prop. III, 1, 62:

> Aut illis flamma aut imber subducet honores,
> Annorum aut ictu pondera victa ruent.

Sic Petron. c. 83: *Nam et Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis injuria victas.* Alio sensu Plinius N. H. 36, 15 *invicta miracula* i. e. *non superata.* In ceteris ne quem speciosa Santenii fallat emendatio, Wyttenbachius cavebit in Bibl. Crit. III, 4. p. 50 Orellio etiam commemoratus. *Armorum* legunt Codex Burm. I, Leidensis Colbertinus Vaticanus V, solita permutatione, ut ap. Hor. Sat. I, 1, 4:

> „O fortunati mercatores!" gravis armis
> Miles ait, multo jam fractus membra labore.

Buherius verissime correxit codicum scripturam *annis.* Illustre exemplum, quam pertinaci animo librorum scripturae quamvis ineptissimae defendantur. Edidit enim h. l. *annis* Jahnius, quod a Wolfio jam ejectum fuit. Poeta homines describit, quorum unusquisque, dum negotium habet vitae genere ortum, taedio afficitur. Mercator tristitia et cura laborat per tempestates; Jureconsultus moleste fert, si somnus ei rapitur; rusticus urbem intrans spectaculi novitate stupefactus

in urbe degentes felices solos putat; miles armis tectu eorum pondus in itinere sentit et exsecratur. E Jahni aliorumque explicatione miles inducitur, qui sponte su lucri causa stipendia meruit et fessus aetate intelligit militem se sibi speratas non colligere posse divitias Sera profecto sapientia, de qua tamen poeta no somniavit. Nam agit non de avaritia, sed de iis in vit momentis, ubi homines rei, quam profitentur, taedium incessit. Defenderunt Buherii correctionem duo acutissimi viri, F. A. Wolfius et Abrah. Eichstadius ad Ommeren. p. 193, iisdem, sine dubio (nunc enim libri no sunt ad manus) argumentis aliisque fortasse insuper non tamen alienum duxi, meam, qualiscunque sit proferre sententiam.

El. XX, v. 51:

His, o Galle, tuos monitus servabis amores
Formosum Nymphis credere stultus Hylan.

Sic hoc distichon scribendum censeo, triplici modo vulgata dissidens scriptura. Primum enim *monitu* cum Lachm. e Neap. aliisque libris scripsi, pro quo *monitis* vulgo legunt, deinde interpunctionem sustuli post *amores*, qua in re Marklandum praeeuntem etiam Lachm. secutus est. Denique autem *stultus* scripsi, non *tutus*, quae est vulgaris scriptura, nec *fisus*, ut Lachm. legit. Codices enim habent *visus*, *risus*, *rursus*, *jussus*. Vix illud *fisus* intelligendum est neque ullum adduxit Lachm. exemplum. Stultus autem de amatore dicitur qui minorem justo curam deliciarum suarum habet. Ac prudentibus stulti semper opponuntur, ut a Cic. Catil. II, c. 5. Plaut. Curcul. IV, 4, 19:

Stultior stulto fuisti qui iis tabellis crederes.

Tibullus igitur: *stulte confisus amari.* Reposian. Concub. M. et Ven. v. 1:

Discite securos non umquam credere amores.

Prop. II, 20 (17) 18:

Experta in primo *stulta* cavere potes.

ubi nihil tentandum. cf. de hac v. Burm. ad II, 20, 28. Phaedrumque I, fab. IX init. *Tuta, stulta, vita* facile commutantur. v. Burm. ad II, 17, 18.

Suavissimum est initium l. II. inde a. 5:

> Sive illam Cois fulgentem incedere totis,
> Hoc totum e Coa veste volumen erit:
> Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos
> Gaudet laudatis ire superba comis:
> Sive lyrae stamen digitis percussit eburnis,
> Miramur facilis ut premat arte manus.
> Seu cum poscentis somnus declinat ocellos,
> Invenio causas mille poeta novas.

Primus, nisi fallor, Schraderus *vidi* illud non posse ad praecedens distichon referri observarit, qua in re ei Huschkius et Lachm. assenserunt neque ego dissentio. *Totis* autem est conjectura, cum libri habeant *cogis*, e quo verbo alii *togis* fecerunt quod jam Broukhusius repudiavit, Huschk. *novi*, Wyngaarden Obss. crit. in Actis Soc. Ultraj. T. I, p. 195: *conchis*, Lachm. *coccis*, ita tamen ut versus sic transponeret: 9. 10. 7. 8. 5. 6; Schraderus denique *vidi* p. totis e *duobus* Vossianis; quam scripturam e IV tantum Voss. enotat Burm. At in librorum scriptura *cogis*, aliud quid latere illudque *vidi* a docto librario, ut melius structura procederet, adscriptum esse verosimillimum est. Huschkii autem *novi*, quumvis acute excogitatum, improbo, quia hoc verbum de aliis iisque gravioribus rebus dicatur, non de talibus ludricis amatoriis. Lachmannus autem vereor, ut plura mutaverit, quam ad sanandum vulnus opus est. Transpositio enim a Ruhnkenio lenissimum remedium vocatum et certatim deinde ab aliis adhibitum, rarius et cautius faciunda est in versibus dactylicis praesertim elegiacis, ubi unumquodque distichon suam habet sententiam, ita ut uno disticho sede sua moto totius carminis venustas saepe pereat. v. etiam Reisigium Conjectt. p. 244. Ac sane etiam in hoc loco e vulgari ordine paullo melius ita gradatio fit, ut poeta ab externá pulcritudine ad Cynthiae artes denique ad summum illud, quod sibi soli facere licuit, procedat. Quae justa gradatio deperit, si Lachm. ordinem sequimur, ubi id, quod poeta paullo majoris aestimare debuit, vestis ornatui praemittitur. Neque etiam hac transpositione vitatur correctio v. 5, ubi Lachm. *coccis* non optimum habet sonum, quem equidem si codicum scriptura esset, ferrem; cur autem e conjectura infera-

tur, non video. Duo habeo huic loco remedia: legendum enim censeo aut:

Sive *illi* in Cois fulgentem incedere *cura est* (vel *curae*)

aut:

Sive illam Cois fulgentem incedere *cernis*.

Cura enim et *curare* non solum de capillorum comptu sed etiam de toto dicitur corpore. v. Gronov. Obss. I, c. 23. De *curae* vel *cura est* v. Wunderlich. ad Tib. I, 9, 51. *Cernere* autem idem valet quod videre, quod de Huschkii *noscere* negavimus. Restat autem, ut dicamus de hoc v.:

Hoc totum *e* Coa veste volumen erit.

ubi *de Coa* Schraderus voluit *hoc* omisso, *in Coa* Lachm. reposuit. Schraderus secutus est codicum Voss. IV et Ask. scripturam, Lachm. ingenium suum, recte ceteroqui improbans commentum Schraderi. Poeta cum omnibus hic versibus nihil aliud significare cupiat, quam, ut versu utar ap. Plutarch. Erotic. p. 762 B.:

Ποιητὴν δ' ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

hoc versu Coam illam vestem sibi materiam carminum praebere dicit, sive, ut Passeratius ait: „Totum librum complebo laudibus Cynthiae vestis," *Ex* igitur praepositio, ut saepe, significat originem hujus voluminis. Liber scriptus est ob Coam vestem. Bahrdtii, poetae verba nimis urgentis, explicationem ridiculam esse facile Lachmanno largior. Qui tamen ipse exemplis suis nihil comprobat. In his enim maximam jam partem a Wouwerio occupatis ad Petron. p. 118 ed. Lotich. qui etiam Ruhnken. praeterisse videtur ad Terent. Adelph. IV, 2, 50, his igitur omnibus *persona* in aliqua re totus inesse dicitur, non volumen vel liber in argumento. Erant igitur talia afferenda exempla veluti Plinii ep. I, 2, ubi *materia tota est in re.* Similiter Statius V, Theb. v. 598: *totumque in vulnere corpus* perspicua sententia: totum corpus unum fuit vulnus; non cepit tamen Lactantius L. II, 3, 15 (2, 25 ed. Burm.):

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella

certissimam arbitror emendationem V. D. in Misc. Obss. *papilla* legentis p. *puella.* Poeta enim locutus de

ingulis corporis partibus, quibus amator capi solet, primo loco faciem ponit, deinde de capillis oculisque, postremum de papillis dicit. Plane aliena est puellae mentio. Cf. etiam Lucan. X, v. 141. Ceterum hic locus Reposiani v. 122 in memoriam revocat (ap. Wernsd. T. IV):

pectus gemino quasi sidere *turget.*

Quis umquam turgentia sidera vidit? Jure Wernsdorfius locum censuit corruptum, quem, nisi forte quis acetum Wernsdorfii commentum *tubere turget* praeferat, una litterula mutata emendo p. *turget* legens *fulget.* Frustra Wernsdorfius loca desiderat, in quibus papillae cum sideribus comparentur. Utrique enim verbo pariter convenit candidum epitheton. Poeta ad *Lydiam* ap. Wernsdorf. T. III, p. 401:

Conde papillas quae me sauciant
Candore et luxu nivei pectoris.

Quo de loco aliisque permultis v. eruditam Mitscherlichii digressionem in Lectt. in Catull. p. 51 sqq. In Arborio ap. Wernsd. T. III, p. 219, nisi malis:

Contegis *obscura* candentes veste papillas.

occulta est accipiendum significatione activa, ut ap. Stat. Theb. V, 251. Ejusdem poematii ad *Lydiam* v. 3 sic lege:

Albam (vel *albamque*) *simul rosam et rubidam.*

Vulgaris scriptura sensu caret. De albis rosis earumque raro in comparationibus usu cf. Schrader. ad Musaeum p. 177. *Et* omissum quod alioqui librariis *solenne*, ut Bentleium memini dicere ad Horatium.

L. II, 4, 20 (1, 76 B.) recepi optimam Marklandi emendationem *certa* p. *caeca* quae Colot. Vol. I, v. Exc. confirmatur. Flagitat enim hoc apertissime sententia, quae nisi obstaret, aliquid mutare temerarium esset. Nam *caeca via* Tibullo legitur II, 1, 78 et *caeca pericula* apud ipsum Propertium leguntur II, 27, 5 ed. Burm. quomodo etiam Cicero dixit de rep. II, c. 3. Aeque certum arbitror quod II, 24, 3 (19 ed. B.) *vixdum* recepi e Perrej. Colotiano duobusque Vaticanis. Vulgo *nondum.* At nondum aliquis docuit, qui nondum noctem cum amica peregerit, eum lecto gravem dici posse;

bene autem hoc ille potest, qui unam alteramve noctem apud dominam degit.

Finiamus caput hoc duorum Propertii locorum disquisitione, qui interpretibus, praesertim Lachmanno, multum facesserunt negotii.

Eminet inter Propertii elegias ea quae tertia est libri I, in qua tanta verborum elegantia cum tali sensuum teneritate et castitate conjuncta est, ut Propertium celebrem illam Graecorum in rebus lascivioribus venustatem et gratiam assecutum esse, immo etiam Pauli Silentiarii versus eodem de argumento compositos superasse, jure dicas. E Latinis certe nescio qui, ut cum hac comparentur carmine, digni sint versus nisi Lucretii I, v. 36 sqq. Ex Germanis Goethium idem argumentum eadem venustate tractasse vix opus est, ut moneam. Quo major vero est in hoc poemate honestas, eo magis offendimus in v. 16:

> Subjecto leviter positam tentare lacerto
> Osculaque admota sumere *et arma* manu.

Qui hanc omnium librorum scripturam honeste interpretari studet Lachmannus nec Latinitatis peritis satisfacit neque etiam, quomodocunque se torquet, aliam quam foedam extriqare potest sententiam, qualem ab hoc loco alienam esse probe sensit Gronovius conjiciens:

> Osculaque admota sumere *ad ora* manu.

Quam tamen conjecturam a Broukh. in textum illatam sive ut Gronovius ipse sive ut Burm. interpretaris, neutro modo apparet, cur oscula daturus manus ad os admoveat. „Admoventes oribus suis dexteram" Appuleii verba sunt Met. IV, p. 300, ubi v. interpp. de hoc deos deasque adulandi more. cf. etiam D'Orv. ad Charit. p. 539, ubi tamen non recte intellexisse videtur Soph. Oed. Col. 1126. Eleganter, ut solet, de hoc more Muretus V. L. X, CI. At quid hoc ad protervum amatorem? Qui aut communi omnium mortalium modo osculabantur aut cervice reflexa, de quo osculandi genere v. Bergleri annotationem a Reitzio commemoratam ad Lucian. T. VIII, p. 517. Insistens igitur Gronovii vestigiis legendum duco: *ab ore*, quae conjectura loco huic graphico sane quam convenit. Neque tamen

displicet, quod item mihi atque etiam Heinsio, ut postea vidi, in mentem venit, *sumere rapta.* Quod optime dicitur de amatore dormientem ac nescientem osculante amicam. Sic Graeci *ἁρπάζειν φιλήματα* v. Huschk. ad Tib. I, 4, 54 et *κλέπτειν φιλήματα* legitur ap. Paul. Silent. ep. I. Neque etiam *rara* p. *et arma* ineptum foret.

Admove oscula in Petronio legitur c. 114, ubi alii tamen habent *da oscula;* vitii aliquid latere non immerito Burm. suspicatur. Fortasse antiquitus scriptum fuit: *Agedum da oscula.* In Propertii autem loco codicum scriptura fortasse nata est e l. III, 9 v. ultimo:

Et sponda et toto movimus arma toro.

ubi Broukhusius optimo jure felicissimam Heinsii emendationem *exosculatus* est, quae non solum a sententia probanda est, sed etiam quod *movere* et *solvere* interdum commutantur, velut apud Tibull. III, 5, 14 Dresd. liber *movimus* habet; ceteri recte *solvimus.* Omnino autem similium locorum comparatio corruptelae praebuit ansam.

I, 15, 21:

Conjugis Evadne miseros elata per ignis
Occidit, Argivae fama pudicitiae.

Posteaquam Hemsterhusius *miseros ignes,* qnod temere et inscite mutaverant, optime se habere docuerat, Lachmannus offendens in *elata* corrigit *oblata.* Quae vox si ea, qua hic putavit, significatione de funere posita esset, justa vitii suspicio oriretur. Significat autem h. l. elata eam, quae mentis impos. (*außer sich sein.*) Ex enim praepositio notionem habet alti et superi de qua cf. Koelerum in Wolfii Analectt. T. II, p. 331. Sic semper *in altum evehi* dicitur, numquam *invehi,* v. Ruhnk. ad Mureti Opp. I, p. 24. Efferre autem, quod bene humano convenit, animo, et de laetitia et de nimio dolore, quem vocant furorem, dicitur. Ac de priore significatione plenus est Cicero velut Acad. G. I, §. 38. p. R. Dejot. §. 26. Tusc. G. IV, §. 13. adde Ang. Maium ad libros de rep. III, c. 30. *Elatus inflatusque* Suet. Nero c. 37. „*Prospera enim animos efferunt*" verba sunt Senecae Agamemn. v. 252. Transfertur inde ad decorum corpus a Plin. Panegyr. c. 22. *Elatas supercilio*

cervices paganis Arnobius exprobrat adv. gent. l. I. p. 30 ed. Froben. *arrogantius* et *elatius* Gellius conjungit IX, 15. *Elate* scribentes iis opponit Tullius qui *summisse* scribunt, de quo usu rhetorico Schaeferum vide in Melet. crit p. 10 sq. pro quo etiam *sublate* idem de claris Oratt. *Elatum* spiritum Quinctilianus X, 1, 103 Tacito, ut suspicantur, tribuit talemque animum illa mulier habuit in Soph. Trachin. v. 312:

ὅσωπερ καὶ φρονεῖν οἶδεν μόνη.

ut verissime idem Schaeferus interpretatur Annott. ad Demosth. V. I. p. 744 n. Similem Euripidae locum in Herc. fur. v. 774 optime Lobekius exponit ad S. Ajac. p. 294. Quae diligentius monuimus ob verba in orat. de harusp. responso c. 2: *dolore elatus*, quae novo argumento, hanc Ciceronis orationem falso vocari, sunt. Dolore enim homines franguntur et opprimuntur; efferuntur nimio dolore, scilicet furore; sic nostro loco Evadne, sic Niobe ap. Ovid. Met. VI, 283:

Efferor: exsulta.

Pari modo ac Lachmannus in Livii verbis VII, 26, 5: *Corvus e conspectu elatus orientem petit* Gronov. *ablatus* voluit, cui Dukerus frustra assensit. Illud *miseros*, quod jam Hemsterhusius tuebatur, pluribus Lachmannus confirmavit. *Miseri honores*, sunt funebres, non invidendi. *Misera ambitio* apud Horatium ut *tristis arrogantia* apud Tacitum. Prop. III, 4, 6 (3, 28): *Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.* Male sollicitarunt *miser*, intempestivam ostentantes eruditionem. *Miser* est hic animo aegrotus, qui, avaritia agitatus, nullam invenit requietem. Hanc explicationem confirmant seqq. versus. Inde fit, ut *miser* etiam pro *detestabili* interdum accipi debeat. v. Welker. ad Theogn. p. 7. *Miserae viae* ap. Prop. III, 6, 32 (5, 44) viae ad mortem ducentes. Non opus est Santenii *incertas* ad Terent. M. p. 9. Quoniam semel Ciceronis sit mentio facta, nonnulla de eo adjiciamus. Orat. p. Murena §. 45: Ejusmodi candidatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt *aut testatam* rem abjiciunt, aut suam operam et gratiam judicio et accusationi reservant." Verba *aut testatam* corrupta esse jam vidit Ernestus, qui tamen, quomodo sint emendanda, se ne-

scire fatetur neque Matthiae quidquam in mentem venit, qui ea, si recte recordor, uncis inclusit. Sed, si quid video, legendum: *ante tentatam.* Illud vero *aut* semel tantum nunc positum idem fere quod *aut potius* valet, ut de legg. I, c. 15 §. 42. Quae alia hujus usus exempla affert Goerenz. ad Tull. de finib. I. §. 52, non satis apta sunt. v. praeterea Wolfium ad Horat. Sat. I, I, 29 et sic *aut* p. *aut certe* positum a Velleio P. II, c. 29.

Orat. in Catil. II. §. 18: „Quid exspectas? bellum? — an tabulas *novas?* errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, sed auctionariae." *Novae* vocem Matthias cum Ernesto censet spuriam, cui sententiae jure se opponens Beierus ad Cic. de Offic. II, §. 84 p. 162, rem ita expedire conatur, ut consequens p. antecedente dictum sit. Auctione enim facta, mutatae sint tabulae et abolita debitorum nomina. Nimis contortam hanc viri doctissimi esse interpretationem nemo negabit, praesertim cum omnia plane sint, si arbitremur Tullium lusisse in ambiguitate *novae* v. neque aliud quidquam dicere voluisse quam hoc: Alias proferam tabulas, sed non quales a Catilina exspectatas, sed auctionarias. Demosthenem fortasse Cicero in mente habuit, qui item p. 43 v. 9 ed. R. facete utitur ambigua *καινὸς* vocis potestate sic locutus: *Λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν;* *Infelices tabulae* Claudiano commemorantur in IV Cons. Honor. v. 497.

Ceterum in quattuor illis orationibus, quae sub Ciceronis nomine jactantur, etiamnum multa insunt, a linguae castimonia abhorrentia, quae notari merentur velut *inquam* p. *igitur* crebrius positum. Alia alio tempore proferam. Hic tantum monere liceat Muretum ineptos verborum lusus, quibus saepe delectetur, ex harum ipsarum orationum imitatione fecisse videri. Notavit eum hoc nomine aliquoties Ruhnkenius.

CAP. IV.

CONTINUATUR IN ILLUSTRANDO PROPERTIO.

Praeclarum est et vere poeticum libri III. initium:

Callimachi manes et Coi sacra Philetae
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis et a me
Nata coronatis Musa triumphat equis.

Qui versus ut corrumperentur, critici certatim operam dederunt. Quae sint sacra *Philetae*, plerique nescire fatentur. Ac Valckenaerius, in quo viro, quod dudum eruditi homines nuperque Schaeferus ad Demosth. I, p. 561 n. judicarunt, libido erat sanos corrigendi locos, ita tamen ut reconditiorem sententiam vel verbum inferre conaretur, is igitur *scripta* p. *sacra* corrigit, quo nihil umquam frigidius et a poetica magis remotum dictione reperiri potest. Quod tamen facile viro praeclaro condonandum est in libro postumo a vivo ipso e proelo detracto. Provocat quidem ad II, 2, 31 (3, 20) et 25, (34) 87 ed. B. neutrum tamen hoc pertinere locum nemo non intelligit. Vulpius qui ceteris diligentius interpretibus in hoc v. versatus est, Manes intelligendos esse censet. Quod refutavit Orellius in Eclogis Poett. Latinor. Videntur autem mihi nimis urgere poetae verba, quae sic fere explanda puto. Propertius se cum vate vel sacerdote comparat, quod saepe ab aliis factum exempla ostendunt, quae Knappius, theologus rara elegantiorum litterarum scientia, collegit in Scriptis var. arg. I. p. 29 n. v. etiam Marklandi et Ruhnkenii verba ap. Burm. ad II, 13, 59. Quo ex more etiam fit, ut vates canere dicantur. Haec metaphora primo statim versu Manium commemoratione incipit foretque sanequam inepte, si *Manes* et *scripta* conjungerentur. Poetae autem fuerunt sacri Platone teste in Ion. p. 534, B. HST: κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν. Tibullum III, 4, 43 Phoebus sic alloquitur:

Salve cura deum; casto nam rite poetae
Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent.

quod distichon doctissimi quidam viri non sollicitare debuerant: aperte enim huc respicit Ovidius Tibulli mortem lugens Am. III, 9, 17 loco, ut nunc video, ab Huschkio jam indicato:

At sacri vates et divum cura vocamur.

Sil. Italic. XII, 408:

sacer hic ac magna sororum
Aonidum cura est et dignus Apolline vates.

qui locus quodammodo *Sterkio* favere posset Actis Societ. Ultratr. I. p. 164 sqq. *sacro* emendanti ap. Prop. III, 15(14) 19 p. *parvo*; non tamen opus est v. Schrader. Em. p. 22 et *magni sanguinis* exempla ap. D'Orvill. ad Charit. p. 428. Auctor dialogi de oratorib. c. 13: „Ac ne fortunam quidem vatum et illud *felix contubernium*" de quo loco recte judicant Bipontini editores. Possis igitur *sacra Philetae* commode accipere pro *sacer Phileta*, et optime huc pertinet Liv. XXXIX, c. XL de Catone: „vivit immo vigetque eloquentia ejus, *sacrata* scriptis omnis generis." Orellii explicatio non magis Manibus convenit, quam Valckenaerii conjectura. Ejusdem Valckenaerius suspicio, a tertio v. novam esse incipiendam elegiam, idonea caret causa. Magis probabilis est, quam ille praefert, scriptura v. 6 *quave*; libris tamen pene plerisque parendum est. *Pura* de fonte sacerdos vero Propertius est aut quia primus Graecos imitatus est, quod etiam v. 4 significat, quodque confirmat Lucretiani l. IV initium, quem aptissimum locum Livinejus etiam attulit, aut ea sententia dictum est, quomodo Callimach. H. in Apoll. 110:

Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς ἄκρον ἄωτον·

Occasione oblata, strictim annotamus, in hujus hymni v. 106 Brunckium male e Dawesii atque Ernesti sententia, reposuisse *οὐχ'* p. *οὐδ'* ne lectore quidem monito. Qua correctione admissa mirum in modum languet locus ceteroqui elegantissimus. *οὐδ'* enim est ironice dictum, in cujus rei ignoratione vix credi potest, quantopere viri quamvis docti imprimisque idem Ernestus

apud Ciceronem suum a vera verborum sententia aberraverint, cum eos dissimulatio scriptoris fugeret. Sit autem *purus* fons sive hoc sive illo modo accipiendus, certe languida est Marklandi conjectura p. *puros* scribentis *vestro*. Idem de Lachmanni mutatione in v. 10 judicamus, qui p. *nata* scribit *nota*, secutus scripturam nonnullorum librorum, quorum ipse alioqui impugnat auctoritatem. Modestius Tullius et pedestri accommodatius scriptori de se dicit in Acad. G. I. §. 8: „Meos amicos in Graeciam mitto, id est ad Graecos ire jubeo, ut ea a fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur. Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possunt, ea quantum potui — feci, ut *nota* essent nostris." Jure autem poeta id dicendi genus, quod per ipsum innotuerat, a se natum praedicare potest. Contra IV, 9, 40:

Et nunquam ad *notas* irrita tela feras.

Lachmannus e plurimis et optimis libris reposuit *natas*, ita interpretatus: „Quotiescunque nova monstra nascantur, irrita tela sua negat." Callida sane interpretatio, quae vix his verbis elici potest. Si *natae ferae* ferendae sunt, saltem verbum quoddam, veluti *quocunque* ad *natas* apponendum erat. At natae ferae, absolute dictum, sunt ferae, quae necesse fuit ut nascerentur, priusquam ferae essent. Bene igitur, si quid video, Broukhusius *notas* scripsit, quae conjectura duorum Vossianorum lectione *novas* egregie confirmatur. *Notae* ferae sunt celebres, poetis decantatae. Sic Horatio Lesbos vocatur *nota* Lesbos i. e. εὔυμνος. Aliam nec tamen probabilem iniit rationem Santen. ad Catulli el. ad Manl. v. 22 corrigens: *nocuas*, quod epitheton, meo certe sensu, valde languet prae illo *notas*. Ceterum de initio illo l. III Propertii lectu digna sunt, quae Huschkius observavit in initio ep. orit. ad Santenium; multa nec tamen omnia satis apta Passeratius et Vulpius congesserunt. Alias Valckenaerii in Propertium conjecturas jam Lachmannus bene refutavit v. c. II, 32, 33 (III, 28, 33 ed. Lachm. II, 293, 89 ed. B.), de cujus elegiae v. 35 (91) nunc quasi praeteriens moneo, Heinsii, Broukhusii, Burmanni, Valckenaerii, Lachmanni opinionem Nymphas minus recte deas vocari, non solum inscriptionibus, quarum exempla Ruhnkenius apud

Burmannum protulit, sed etiam ipsius Ovidii loco elevari, qui l. IX. Met. v. 387 Dryopen facit monentem:

> Et frutices omnes corpus putat esse dearum

qui v. ad Lotidem Nympham (v. 347) referendus est. Neque aliter Graeci, ut Hesiod. fr. XIII. ed. Gaisf. Theogon. v. 129. Spanh. ad Callim. H. in Dian. v. 185. Ipseque Virgilius Aen. 1, 328 illorum oppugnat sententiam.

Inconsiderate Lachm. cum Palmerio probam librorum scripturam II, 16, 16 (13, 16)

> Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
> Juppiter, *indigna* merce puella perit.

unum codicem secuti sic mutarunt:

> Juppiter (indignum!) merce puella perit.

Causa addita, poetam, cum generale vocubalum *munera* posuerit, illud subjicere non debuisse Poeta in hac elegia summa acerbitate in Praetorem quendam sibi praelatum invehitur, eum v. 27 *barbarum* vocans non, quae quorundam est opinio, quia ille ex Illyria venerat, sed quod barbari ut libidinosi a Graecis Latinisque reprehenduntur v. D'Orv. ad Charit. p. 469 ed. L. Arist. Acharn. 47 sq. Ovidium compluribus locis. Hunc igitur Praetorem queritur amorem mercari et indigna quidem merce. In priore v. urgendum est *quivis mercatur*, in altero: *indigna merce.* Apud Graecos Romanosque pariter atque apud nos munera ad amorem puellis incitandum plurimum valebant. Quorum tamen munerum duplex fuit genus: alterum honestum, alterum indignum et turpe. Honesto munere Cynthia contenta fuit, cum nihil nisi carmina posceret II, 26, 5:

> Nam mea cum recitet dicit se odisse beatos:
> Carmina tam sancte nulla puella colit.

vel etiam poma tale ut munus commemorantur II, 34, 73:

> Felix qui viles pomis mercaris amores!

ubi nec *mercatur* cum Schradero et Burmanno nec *vili pomo* cum Koppiersio et Burm. legendum. *Mercaris* et sequens *tentat* solita poetae variatio est, *viles pomis* autem idem valet, quod *vili pomo.* Hoc loco Huschk. ad Tib. III, 1, 3 uti potuisset ad suam confirmandam correctionem, ab qua non longe Heinsius abfuit, III, 12 (11) 27:

Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiae quorum messis et arbor erant!
Illis *poma fuit* decussa Cydoniam ramo
Et dare etc.

Eundem Graecismum Sophocli restituit Reisigius Oed. C. 357. Quae tamen sit illa *pacata* juventus, nemo usque probabiliter docuit. *Pacatus* est, qui in pace vivit, ut bene Passeratius exposuit neque dubitare de hac significatione debuit Burmannus. v. Drakenb. ad Liv. XXXV, 4. Saleius Bassus Carm. ad Pison. v. 25 *pacata laude nitentem* vocat *Pisonem* qui forensibus rebus quaesiverit gloriam. Nihil autem hoc ad rem, mavis librorum scriptura III, 15 (16) 2 *pacato* pro quo nunc *bacchato* legitur. Sed *pacatus* commode h. l. dici potest, qui bella cum domina gerere desiit. Frequens haec prolepsis. cf. Huschk. ad Tibull p. 290. *Pacata tranquillitas* Arnob. adv. g. II, p. 84 ed. Frob. ut *castus pudor* apud Ovidium, *jucunda voluptas* apud Lucretium et Propertium et cycni *μέλποντες ἀοιδοὶ* Callimacho dicuntur H. in Del. v. 249, quem locum temere Ruhnk. tentavit. Bacchari autem minime Propertius in animo habet, sed tranquillitatem desiderat, pacatum igitur animum. Et hunc Bacchus praebet, ut egregie Euripida in fabula qua Bacchi laudes cecinit, optima, meo judicio, prae omnibus relicuis ejus poetae: 280 ed. H.

ὃ παύει τοὺς ταλαιπόρους βροτοὺς
λύπης ὅτ' ἂν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς,
ὕπνου τε, λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν,
δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.

Sic somnum item poeta noster arcessere cupivit v. v. 10—15 et v. 42. Euripidae locum dedi ut Elmsleius scripsit. Recte, si quid video. Quae Hermannus tentat, supervacanea sunt. Aldi et codices Palatini scriptura *ὕπνου τε* defendi posse bene judicat Hermannus. Ac si ea recipienda esset, nihil tamen aliud mutarem, majore solum distinctione ante *λήθην* posita, ut *ὕπνου τε* ad antecedentia pertineret. Sed in viam redeamus. *Pacata juventus* hanc igitur ob causam aliena est, quia de divitiarum lucrique studio sermo est. Nisi fallor, legendum: *incorrupta*. De syllaba prima ab antecedente v. absorpta non est, quod moneam post Drakenb. ad Liv. V, 27, 6. Secundae autem et tertiae syllabae per-

permutatio effecit, ut *pacata* legeretur p. *corrupta*. Exempla ceterum addere non opus est. Nunc in viam redeamus. Inter honestas amoris merces aves se referunt ap. Aristoph. Arib. 707 ed. Bergl.:

> *Διὰ τὴν ἰσχὺν τὴν ἡμετέραν διεμήρισαν ἄνδρες ἐράσται*
> *Ὁ μὲν ὄρτυγα δοὺς ὁ δὲ πορφυρίων᾽ ὁ δὲ χῆν᾽ ὁ δὲ Περσικὸν ὄρνιν.*

ubi Aristophanes fortasse ea respexit quae de Pericle Plutarch. narrat in ejus vita p. 160 D. Similem ejusdem poetae locum Gronov. producit Obss. II, c. 10 p. 224. Elephant: dono corrumpi, Indorum feminis non inhonestum habebatur ex Arriano Indic. p. 331 ed. Gronov. cl. Flori l. IV, c. 12. Contra vestes, margaritae, gemmae et quae aliae sunt res muliebris ornamenti, (v. v. 17 nostrae eleg.) merx putabatur turpis. Plant. Mostellar. I, 3, 128:

> Amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.

Hujusmodi dona Oenone accipere sprevit ap. Ovid. Heroid. V, 143 sq. loco, quem etiam Passerat. adduxit. Multus est Ovidius et inprimis Tibullus in iis detestandis, a quibus amor venditur. Dicebatur enim *vendere* p. *corpus tradere*, quomodo Passeratius interpretatur Prop. I, 2, 4:

> Teque peregrinis vendere muneribus?

quam tamen explicationem jure Burm. rejicit, cui Astius assentiri videtur, hunc versum cum Platonis in Phaedro dictis componens p. 239, D. HSt.: *ἀλλοτρίοις χρώμασι — κοσμούμενον*. cf. Arnob. L. II, p. 86 graviter et luculenter disserentem. Propter illa autem munera puellae nautis et negotiatoribus potissimum favebant. Nota sunt hac de re Horatii, Ovidii, Tibulli, Juvenalis loca. Magnum amoris argumentum ap. Alciphron. narratur L. I, ep. 38, quod puella *Αἰγύπτιον ἔμπορον ἀπεσκοράκισεν ὅσον ἀργυρίου προτείνοντα* et ap. Lucian. Dial. Meretr. IV mittit ille suam puellam his verbis: *Ἄπιθι, ἔφη, πρὸς τὸν ναύκληρον*. Propert. IV, 5 in lenam invectus, optat v. 49:

> Nec tibi displiceat miles non factus amori,
> Nauta nec attrita si ferat aera manu.

ubi poeta, ne de tali cogitetur nauta, qualis ille apud Horat. Sat. I, 1 est, *attritam manum* addit, de qua locutione Heynium adeas ad Tibull. I, 4, 48. Prior autem hujus distichi pars ad ferocitatem militum et insolentiam spectat, de qua puellae crebro queruntur apud Plautum, Alciphronem, Lucianum, alios, quamque Tibullus vituperat I, 10 s. f. Acerbe Propertius illudit eidem lenae v. 55 et 56:

Qui versus Coae dederit nec munera vestis
Istius tibi sit surda sine *arte* lyra.

Lachmannus nonnullos codices Broukhusiumque secutus *aere* scripsit. Burmannus Marklandusque *arte* legendum esse bene censuerunt, quamquam nulla est, quam ille causam addit p. 798 et p. 800, quia mox praecesserit *aera*; quod saepius fit. At, si *aere* legis, acerba ironia tollitur languidaque evadit sententia. cf. Ovid. Amor. I, 8, 59—62. Praeterea poeta ambiguitatem forfasse quandam assequi voluit, cum *ars* propri *astuticia meretricia* sit v. Ruhnk. dictata in Teren p. 155. Igitur, ut ad id, e quo profecti sumus, redeamus, in primo illius distichi versu Propertius, non tantum ingeniosos et celebres mercari posse amorem, sed etiam unumquemvis terrae filium, in altero vero puellam non carmine aliove honesto dono, sed turpibus illecebris capi queritur, quae a *vulgo amantibus* dabantur. v. I, 2,23: *Non illis studium vulgo conquirere amantis.*

Optime Lachm. in primis el. III. l. III versibus veterem restituit scripturam ingeniosis conjecturis corruptam. Ad v. 5 exemplum ap. Tib. I, 9, 4 interpunge:

Sera, tamen tacitis Poena venit pedibus.

quemadmodum Lachm. bene distinxit III, 15, 35. v. Virg. Ecl. I, 28. Restat ut explicetur v. 7:

Ite, agite, expertae bello date lentea prorae
Et solitum armigeri ducite *munus* equi.
Omnia fausta cano: Crassos cladesque piate,
Ite et Romanae consulite historiae.

Quid h. l. *ducere munus* sit, Critici aut scire negarunt aut inepte explicarunt. *Munus* autem proprie dicitur de officio militari, ut Julius testatur Paulus l. 18 tit. de

v. signific. Metonymice poeta hac v. ita usus est, ut exercitus ipse vel expeditio intelligenda sit. Sic Tullii de offic. III, 1, 11 verba: „nullum solitudinis munus" his Heusingerus explicat: „Nihil quod in solitudine ab eo peractum vel compositum fuerit." Idem Cicero de N. D. I. §. 19 *mundum* vocat *munus*, quod Wolfius Analect. II. p. 318 per *opus* interpretatur. Eadem significatione dictum ap. Manil. V, 709, quem locum, cur Bentleius mutaverit, non intelligo. *Ducere* autem est *duces esse*, ut Gronovii verbis utar in Diatr. p. 512 ed. H. ubi Statii versum nostro similem:

Quis honor Aonios seno pede ducere campos.

contra aliorum conjecturas egregie vindicat. Poeta igitur haec vult: vos, o armigeri equi, duces sitis operis. Armigeri equi, si proprie dictos nolis, explicandi bellicosi v. Forcell. Erant autem *armati* v. Broukh. et Burm. ad III, XI (X), 12. Commune omnino in rebus bellicis, virorum simul equorumque facere mentionem. Ut omittam Caesarem, sic in illo Propertii loco salutem Gallo primum precatur marito, deinde equo militi valde necessario. v. ibi brevem, sed verissimam Lachmanni annotationem. In nostro loco, ut aptissimum duas alloquitur res expeditionibus maxime necessarias, naves maritimo, equos terrestri bello. Talia etiam Vulpius, ut modo animadverto, cogitavit, sed ipse immerito dubitans. Qui hunc locum emendare voluerunt, imprimis Burmanni fuere et Eldikius. At Burmanni maj. conjectura: *discite munus* valde infelix est. Quam ignominiose dictum, discere munus, quod Romani dedidicissent! Quam sensu cassum, solitum munus iterum discere! Hoc fieri non posse, ratio eum docere potuisset, illud false dictum esse Suetonius docet. Augustum milites suos, etiam bello vacuos, disciplina severa et laboriosa tenuisse tradens. *Discere munus* ceterum Claudianus dicit epith. Poll. et Celer. v. 130. Praestantior est Burmanni secundi conjectura: *sumite munus* neque inelegans, quod Eldikius voluit: *Ad. s. — currite.* Sic etiam Sil. Ital. X, 528; at utrumque supervacaneum est. *Omina* deinde Burm. Lachmannusque librorum partem secuti scripserunt; ego *omnia* praetuli cum Huschkio Anal. ad Tib. p. 700, cum fortius videatur. Utriusque verbi permutatio frequens

est v. c. ap. Suet. Calig. c. 13 et infra III, 19, 14. v. Mercer. ad Aristaen. I. ep. 3. *Crassos cladesque* plane ita dicta sunt, ut apud Tullium aliquoties: *Bajas, actas.* et II, 10, 14: *Crassos.* Parthorum, de quibus hic loquitur poeta, nomen Lachm. in textum intulit II, 7, 13 (6, 13 B.):

Unde mihi *patriis* natos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.

cum Ruhnk. scribens:

Unde mihi Parthis natos praebere triumphis?

neque tamen, ut hic, Augusti triumphos, sed triumphos a Parthis agendos intelligens; quae interpretatio et omnino a Romanorum indole et praecipue ab ingenio poetarum Augusto aequalium abhorret, qui cuncti, ut etiam ipse Propertius loco, de quo egimus modo, Parthorum devictionem promittunt. Quis in tam splendida imperii conditione poeta popularium animos cladium metu depressisset? Hoc nomine igitur praestat, quam ipse conjecturae suae Ruhnk. dedit, interpretatio. Multo tamen magis magnifice sentit poeta in verbis vulgatis. Sunt enim triumphi patrii ii triumphi, quos velut hereditarios Romani possident; quos perpetuos ducunt. Romani sunt invicti; patres triumphos tamquam hereditatem nepotibus reliquerunt. Erinna in nobili oda, quae utrum de Roma urbe nec ne accipienda, parum hoc loco refert, quamquam prius malim:

Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν,
καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως
σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
οὐ μεταβάλλει.

Nihilominus poeta nullum filium currum triumphantis prosequentem videre vult, qui, ut toties dicit, amorem praefert omnibus honoribus patriis et triumphis, qui iidem igitur sunt, qui Latii triumphi, de quibus Burm. v. ad h. l.

III, 19 (13 B.), 3:

Durus qui lucro potuit mutare puellam!
Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?

Quam librorum scripturam, Broukhusius Burmannusque ex Heinsii aliorumque monitu in *Tantine* mutaverunt. Heinsius Markl. Broukh. praeterea v. sic constituerunt:

Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?

qua in conjectura Burm., dum meliores auxilium afferrent codices, acquiescendum putavit, bene ceteroqui nonnullorum commentum *lucris* p. *lacrimis* refutans. *In lacrimis* tueri conatus est Perizonius, cujus sententiae Oudendorpius accessit ad Appul. Met. p. 157. Quem tamen nimia erga praeceptorem pietate errasse puto. Exempla enim ejus aliena sunt. In Propertii enim loco *in lacrimis* primum non cum adjectivo quodam conjunctum est, ut in Oudendorpii exemplis, deinde ne ad subjectum quidem pertinet, quod nimis longe petendum. Praeterea languent quoque haec verba in oratione satis vivida. Probare tamen videtur Huschk. ad Tib. p. 62. Alia ratione loco mederi voluit Lachm. emendans:

Tantisne in lacrimis Africa *grata* fuit?

Qua in correctione *grata* nescio quomodo displicet nec facile mihi eripi patiar *tantine* illud quod probe correctum censeo. Est enim haec vox, ut Burm. ait, velut proverbii vicem obtinens, Propertio non solum amata, sed omnino poetis usitata et quasi legitima formula, si de discessu amantium agitur, cf. Prop. I, 6, 13. Ovid. Heroid. I, 4. VII, 45. Am. III, 6, 37. Val. Flacc. VIII, 191. Tib. I, 1, 51. Nec minus de aliis rebus dicitur veluti ap. Juvenal. III, 54 quo in loco quae sint *ponenda praemia*, Britannico et Achaintrio praeeuntibus, optime exposuit Weberus. *Ponere* p. *deponere* Propertius dicit II, 19 (15) 18 ex Marklandi sententia:

Jam nunc me sacra Dianae
Suscipere et Veneri ponere vota juvat.

quam sententiam Theocritus sic expressit κζ, v. 15:

Χαιρέτω ἁ Παφία· μόνον ἵλαος Ἄρτεμις εἴη.

sed poeta videtur ad eum respexisse morem, e quo emeriti cujuscunque generis arma dedicarunt deo, quem ad-

huc coluerant. Sic Lais posuit speculum. cf. Agathiae ep. XXVII, quod huc imprimis facit. *Votum est* res ipsa quem voverat poeta. — Spaldingii de *tanti est* formula opinionem ad Quinct. Inst. I, 6, 38 prolatam reperies e parte correctam ap. Handium ad Stat. Silv. II, 2, 41. Eodem modo autem durus proprie is dicitur qui puellam deserit, veluti Prop. I, 6, 18:

Et nihil infido *durius* esse viro.

ubi in cod. Vallieran. p. *viro* legitur *toro*, de qua frequenti permutatione cf. Burm. ad II, 7, 54 cl. II, 2, 15. III, 5 (4), 30, et ejusdem patruum ad Ov. Heroid. XIX, V, 78. XVI, 284 *toro* p. *domo*, vel, quod pauci habent libri, *viro* voluit Broukhus. II, 15 (13), 28:

Atque una fieret cana puella *domo*.

sed h. l. malim de *domiseda* explicare, v. Burm. ad Ov. ep. XVII, 16; minus placet, quam Burm. probasse videtur, explicatio ad. II, 23 (19), 8. Vulgatam tamen quamvis altera scriptura magis recondita alicui videatur, mutandum esse recte negavit Lachmannus. *Mutare* de infidis usurpari Gronov. docet Diatr. p. 358. *Tota* Africa aptissime ad invidiam augendam commemoratur. Cum igitur *in lacrimis* neque Latinum et frigidum videatur, omnia relicua optime se habeant, legere malim recepta correctione *tantine*:

Tantine his lacrimis Africam tota fuit?

O durum, qui lacrimas etiamnum manantes videre potuit! Ne totius quidem Africae gazae tanti fuerunt.

Exagitat Lachmannus, praeeunte editore Cantabrigiensi, receptam scripturam III, 2, 21:

Cur tua *praescriptos evecta* est pagina *gyro*?

gyros e. pro e gyris e. dici posse negans. Restituit igitur plurimorum codicum scripturam:

Cur tua *praescripto sevecta* est pagina *gyro*?

Secutus est Orellius in Eclogis. At primum hanc locutionem ferrem apud comicum scriptorem, ubi inserviret ludicro et ridiculo imagini. Sed in gravissimis

his verbis, quis non graviter offendit in v. *vorbeifahren?* haec enim notio neque alia, puto, huic v., si umquam in Romanorum ore fuit, insita erat. Deinde nollem Lachm. structuram illam vituperasset. Sic enim Tacitus Annal. XII, 36, quem locum alii quidem aliter, sed contortius construunt. Sil. Ital. XVI, 573:

Jamque fere medium evecti certamine campum.

Appul. Florid. ap. Gronov. ad Stat. Theb. I, v. 55. Virgil. Culice v. 106. Nec, si etiam haec non prompta essent exempla, damnarem illud. *Effugere, excedere, evadere* cum accusativo conjuncta in vulgus nota sunt; *emergere ardua* Oudendorp. pluribus confirmat ad Appul. Met. p. 12 et sic Manil. I, 116; *exire asinum* aliaque apud eundem invenies p. 221, quem l. ipse Lachm. excitavit p. 59 ed. suae v. etiam Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 188, ubi vulgatam cave mutes, et sic Ovid. Met. X, 52 et Prop. III, 3, 59. Suet. V. Terent. c. 4: *egressus urbem* est, ubi nescio quamobrem Wolfius: *Urbe,* inquit, posuit Heinsius rectius. Vide enim Oudend. ad Caes. B. G. I, 44, ubi docte de hoc v. cum quarto casu constructo agit, neque aliter dixit Quinctilian. IV, 1. Ut autem verba cum ex praepositione composita, sic etiam ea, quae cum *a* componuntur, accusativum, quamquam rarius, adsciscunt. Quamobrem sanum adhuc arbitror Propertii v. 30 el. 9. l. I:

Quisquis es, *aufuge* blanditias.

Quam omnium librorum scripturam cum Passeratius repugnare Latinorum usui contendisset, Broukh. *effuge* scripsit, Lachm. *ah fuge,* Bahrdtius cum Huschkio Anal. ad Tib. p. 706 *oh fuge.* At Cicero de N. D. II. c. 43:

Andromede *aufugiens* aspectum moesta parentis

ubi Ernestus certe non haesit, quamquam Heindorfius e nonnullorum codicum scriptura *effugiens* correxit; *haud fugiens* voluit Broukhusius. Alia e deterioribus scriptoribus sumpta v. apud Forcellinium, et sane, e scriptoribus qui linguae castimonia insignes sunt, nullum fuit promptum exemplum Oudendorpio ad App. Met. VII, p. 571. Similiter *abstinere* cum acc. junctum

in exemplis repetitur a Drakenb. ad Liv. II, c. 22 collectis, licet non omnia inter se quadrent. Nam in nonnullis ibi excitatis locis *abstinere* idem fere valet quod *coercere* et sic Cassiodorus ap. Gronov. Diatr. c. XLI. Petronius in historia matronae Ephes. p. 89 et Lotich.: „Ne hanc quidem mulier partem corporis abstinuit." Inspice etiam eundem Drakenb. ad Liv. XXIII, 1. *Avertere* cum quarto c. juncto Virgilius utitur. Georg. III, 499:

Victor equus *fontesque* avertitur.

Quem locum frustra nonnulli contortius explicant; sic etiam Boeth. Cons. Phil. Metr. I. *miseros avertitur* et plane, ut Virgilius ait Stat. Theb. VI, 192:

et oppositas impasta avertitur herbas.

adde Ovid. Halieut. 21: *Avertitque vias.* Apud Livium, XXV, 28, 3: *nec fame quam propere — alerent*, aut cum Gronovio scribendum: *ut quam* aut *averterent* corrigendum p. *alerent.* Petron. de mutat. R. P. v. 248:

Deserit atque hominum damnatum avertitur agmen.

Abhorrere eodem modo construitur v. Forceliin. et Gronov. ad Gellii N. A. XV, c. 20. *Ignosco* cum acc. propugnat Burm. ap. Prop. II, 2, 4 (2, 56); sed non solum codices optimi et usus, sed etiam ipse sententia tuetur *ignoro. Ignoscere* proprium est Junonis, de mariti furtis loquentis veluti ap. Stat. Theb. I, 256 et aliis locis ap. Burmannum. Quid etiam homines Jovi ignoscere potuerunt, qui ipsi ad eum provocarunt hac in re? Non aliter Juno de mariti amoribus *pellicis* v. utitur, quod item apud poetas tum tantum fit, si per preces Juno adoratur, ut ap. Stat. Thebaide. cf. legem ap. Gellium IV, 3. eundemque XIII, 4. Igitur erecta *gyros* recte correctum censeo.

Aggredimur nunc locum varie tentatum, a nemine dum tamen satis illustratum in l. III, 15 (13 B.), quae elegia, cum filum tamquam Ariadnaeum, ut ait Bahrdtius p. LXXVIII, in computandis Propertii annis sit, eo magis digna, esse videtur, in qua operam nostram collocemus. Dixerat quidem poeta:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit

quem v. compara cum Apollonio Rhodio I, v. 288, nec aliter in primo carmine:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

sed longe alia de se fatetur in illius elegiae initio:

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi,
Ut mihi praetextae pudor *est velatus* amictu
Et data libertas noscere Amoris iter.
Illa rudis animos per noctis conscia primos
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.

Sic hunc locum Burmannus Lachmannusque exhibuerunt. *Est velatus* plerisque in libris legitur; *vellatus* Heinsianus, *sublatus* Palatini, teste Burm. *spoliatus* vel *sublatus* ad marginem nonnullorum esse librorum tradit Gebhardus. Primus Scaliger non tulit illud *est velatus*, sed edidit *exvelatus*, quam conjecturam recepit Broukhusius, probavit Wyttenbachius ad Plut. de Recte Audiend. p. 37, D. (Opp. T. I. Annot. I. p. 308) comparans Graecorum *ἐκκαλύπτεσθαι.* Schraderus Emend. p. 161 voluit *evelatus*, Guyetus *est elatus*, Heinsius *praetexto* et *ablatus.* Heinsianam emendationem pro more Burm. probavit, adsumpta simul Livineji explicatione *libertatem* p. *liberiore vivendi ratione* dictam censentis. Quod a mente poetae abhorret, qui, delicta excusaturus commissa, hoc modo vitium augeret suum. *Libertas* est occasio oblata, illiciens ad rapiendum amorem. Scaligeri conjectura id habet incommodum, quod novum verbum in poetam infertur; in reliquis autem vix intelligi potest, quomodo tam protritae voces sic corruptae sint. Cunctis vero illis commentis id opponendum est, pudorem post prima Veneris gaudia nec velari nec evelari, sed tolli, exstingui, perire, exsolvi. Hic est constans Latinorum usus. Perspicue Sen. Agamn. 113:

Et qui redire cum *perit*, nescit pudor.

cf., si lubet, Statium Achill. I, 565, 661, 671. Ausonium Idyll. XIII. v. ult. Maximin. III, 33. Pervig. Ven. v. 19 cum Wernsdorfii annot. neque aliter Graeci veluti Arist. Nub. v. 994. His vero locis diligenter ii discernendi sunt, ubi pudor nihil significat, nisi faciei ruborem, ut

in Lucani loco, quem Lachm. protulit et sic Claudian. epithal. Pollad. et Celerinae v. 41 et in aliis locis a Gronovio, quamquam aliam ob causam, adductis in Diatr. p. 87. Pudor autem, si velatur, tamen remanet. Haec omnia autem incommoda vitantur egregia Santenii emendatione, quam optimo jure probavit Ruhnkenius: *exsinuatus* i. e. e sinu émissus est. Videtur autem haec vox librariis satis ignota fuisse: nam in ipso illo Anthologiae L. loco, quo Santen. suam probare studuit emendationem, libri plerique *extenuatur* legunt. Elegantissimum verbum idem valet quod apud Graecos ἀπαμφιέννυσθαι v. Huschk. Analect. Wolfii I, p. 170. Exsinuari quidem potest esse *se in sinum pandere*, ut Lachm. vult; inde autem necesse est ut altera sequatur significatio: *e sinu emitti*, quae obtinet in epigr. de Rosis Anth. L. III, 288. Ille autem Santenii locus magis facit ad Propertium quam Statianus versiculus a Lachm. allatus, qui quid sibi velit, ego vicissim non video. — Imbuere h. l. dictum ut in Silii v. a Gronovio in Diatr. p. 448 excitato. Potestatem ejus optime Cicero docet p. Mil. §. 10. cf. etiam Lindemann. ad Ruhnk. elog. Hemsterh. p. 21. Saepius Burm. major de hoc agit verbo; pauca sed lectu dignissima Ruhnken. monuit ad Callimach. fr. CXIX. De Graecis cf. Schaefer. ad Longum p. 360.

Inepte pudor Amori tribuitur II, 12 (9) 18:

Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio trajice tela tua:

quod jam alii intellexere: nam *si puer, hinc* vel *I, puer hinc* complures habent Passeratii libri. *Ni pudor est* alucinatur Burm. quod sensu caret. Pudor et Amor constanter sibi opponuntur quod praeter Ovid. Am. I, 2, 32. III, 10, 28 docent Marullus a Broukhusio allatus et inde, sed diversa scriptura, ap. Bahrdt. Clav. p. 354:

Quare
Nulla deo frons est? nempe *pudore* vacat.

et Irenaeus ap. Brunck. Anal. T. III. p. 10:

αἰδὼς νόσφι πέλει τῆς Κύπριδος.

Quid denique *jucundum* et *pudor* commune habent?

Ni sopor est legere posses cl. Burm. ap. Hand. ad Stat. Silv. I, 2, 162, quo in loco Marklandus *pudor* p. *sopor* voluit, ipse tamen postea hoc improbans, sed facilior correctio prompta est:

Si pudor est alii, trajice tela tua.

Hoc demum modo sequentia apte subjungi vides: nam intacti sunt *rudes*, *pudici*. Seneca Hipp. 923:

Ille efferatus, castus, intactus, rudis.

Corruptum est, quod apud Maximin. legitur el. III, v. 23:

At postquam teneram' *rupit* verecundia frontem.

Bene monet Wernsdorfius poetam hic minus accurate locutum esse. Sane si minus accurate dicere est insanire. An corniculi enati e fronte? ut Delrius interpretatur Senecae v. 142 in Herc. fur.:

Nondum rupta fronte juvencus.

Corrige:

At postquam teneram *liquit* verecundia frontem.

Haec est *frons expudorata*, ut ille loquitur apud Petron. c. 39. Argumenti similitudo in memoriam revocat Nemes. Ecl. II, v. 9:

Hinc amor et pueris jam non puerilia vota;
Quis anni ter quinque hiemes et cura juventae.

Anni hiemes dicuntur quidem in exemplis a Cupero collectis Obss. II. c. 10; sed hanc locutionem ab h. l. alienam esse Heinsius Burmannusque perspexerunt, quorum ille conjecit *actae* p. *anni*, hic contortius sic legendum censuit:

(Quis anni ter quinque hiemes) et cura juventae.

Curam autem illam *juventae* uterque explicare neglexit; fecit Wernsdorfius, sed prave. Potes rectius haec verba interpretari, neque tamen satisfacis sententiae, quae necessario requiritur. Scribendum videtur:

Quis etenim (vel *actae* cum Heinsio) ter quinque hiemes et cura *juvencae*?

Satis nota vel ex Horatio haec significatio. Epicrates ap. Aelian. Hist. animal. XII, c. 10:

— ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος,
Ὡς πῶλος ἀδμής.

Beatissimae Eulaliae aetatem Prudentius similiter definit libro *περὶ Στεφάνων* h. III, v. 11:

Curriculis tribus atque novem
Tres hiemes quater attigerat.

Defendere annos pro vitam agere rarior est locutio a Silico Italico usurpata II, v. 68 de viragine, quae

Venatu et silvis primos *defenderat annos.*

Sic ibi cuncti libri; *impenderat* Burmannus conjecit probavitque Drakenborchius. Dixit autem *defenderat* poeta ratione vitae habita, quae aerumnosa ducitur. Talem enim esse mortalium vitam constans est veterum opinio et facile profecto explicanda, quae vel ex Homero apparet, ubi dii *ῥεῖα ζώοντες* hominibus opponuntur, qui ut Aristophanes in egregia Avium parabasi ait, nihil sunt nisi

ἀπτῆνες ἐφημέριοι, ταλάοι βρότοι, ἄνερες εἰκελόνειροι.

Colo tolerare vitam Virgilianum est; *defendere noctem culminibus* apud Statium legitur Theb. I. v. 409, quod est: noctem, quae est pariter ac vita humana tempestuosa, culminibus peragere. Inest autem simul notio, illam virginem victum quaesisse venatu sicque vitam tuitam esse. *Πενίην ἀμύνεσθαι* locutio satis frequens, de qua Toupius adeundus in ep. de Syracusiis p. 352 (p. 336).

Qualem se Propertius l. modo laudato describit, siccis medullis vapulantem, eundem se pingit II, 14 (11) 13:

Dicebar sicco vilior esse lacu.

Ruhnkenius an ullus scriptor sic locutus sit, dubitans corruptum censuit v. Est autem unice explicandus ex Agathia ep. VI, aut legenti patebit; dixerunt enim veteres amorem libere v. ep. adesp. LV, qua ex imagine hanc deduxit Propertius locutionem, quae tamen ex hujus poetae more hyperbaton redolet aliquid. adde ep. adesp. XXXII. Idem Agathias ep. XXXIV vicissim Ruhnkenii emendationem II, 6, 32 *orgia* p. *jurgia* valde firmat; adde etiam Jacobsium ad Achill. Tat. p. 689.

Praeclare Appulejus, ut ad pudorem redeamus, in Apol. p. 388: *Pudor enim, veluti vestis, quanto obsole-*

tior est, tanto incuriosus habetur. Quibus cum verbis non possum, quin Goethii locum admirabilem componam:

Wann erst die Schande wird geboren,
Wird sie heimlich zur Welt gebracht
Und man zieht den Schleier der Nacht
Ihr über Kopf und Ohren;
Ja man mögte sie gern ermorden.
Wächst sie aber und macht sich grofs,
Dann geht sie auch bei Tage blofs,
Und ist doch nicht schöner geworden.
Je häfslicher wird ihr Gesicht
Je mehr sucht sie des Tages Licht.

De quo supra egimus loco II, 14 (11) 13, is in memoriam revocat ejusdem elegiae versus 29 et 30:

Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis.

Quae ab editoribus propositae sunt emendationes, eae omnes vel ab hac vel ab illa improbandae sunt parte. Santenii conjectura vix tanto digna viro; Lachmanniana ob id falsa, quia Cynthia jamjam se dederat. Lege:

Nunc *ad te*, mea lux, *veniet mea litora* navis;
Serva, *ne* (vel *ne in*) mediis sidat onusta vadis.

Sic Macedon. ep. III:

Ἀλλ' ἐμὲ τὸν ναυηγὸν ἐπ' ἠπείροιο φανέντα
σῶε, τέων λιμένιον ἔνδοθι δεξαμένη.

Philodemus ep. XXIV:

Κύπρι φιλορμίστειρα, φιλόργιε, σῶζέ με, Κύπρι
Ῥωμαϊκοὺς ἤδη, δεσπότι, πρὸς λιμένας.

Praeter codicum auctoritatem nihil immutavimus nisi quod *Serva ne* scripsimus pro *Servata an.* Et praecedentia et finis nostrae optime conveniunt emendationi, ut legenti apparebit.

Data occasione non possum, quin Propertium ab injuria ei cum a Vulpio, Passeratio praeeunte, tum novissime a Lachmanno praef. p. XXIV illata vindicem. Ille enim I, 1, 5 de Amore:

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus et nullo vivere consilio.

Poetam viles et corpore questum facientes quaerere puellas, interpretes modo laudati exposuerunt, quibus graviter ab altera parte Broukhusius succenset. *Et nos etiam*, inquit, *querimus de obscenitate veterum poetarum? scilicet postquam iis nostram dedimus mentem. Musas* igitur intelligit, ut Casp. Barthius et Gebhardus jam interpretati erant nec aliter Burmannus. Ac ita sane videtur, accipiendum esse. Musarum castitas celebrata fuit, ut vel ex ipso nostro apparet II, 30, 33:

Nec tu virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistaniis olim rupibus occubuit.

Vide quae hoc de loco dicimus in hujus capitis fine. *Virgines* hîc appellat, quas in versu de quo agimus *puellas* vocat. Haec enim nec ulla alia poetae mens est. Amor improbus i. e. ἄῤῥυθμος (Eur. Hipp. v. 531) ita eum pressit, ut ne versus quidem pangere posset. Quod remedium fuisset, si Theocrito credere par est Idyll. *ια* init.:

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον (ἐμὶν δοκεῖ) οὔτ' ἐπίπαστον
Ἠ ταὶ Πιερίδες.

Quid porro, si Passeratium sequimur, attinebat commemorare castarum puellarum odium, cum Cynthiam solam amari toties testetur poeta? *Castam odisse puellam* dicendum tum fuit, quod tamen numquam a Propertio factum. Cynthia autem se unam a poeta amari postulavit, itaque illum castas etiam odisse puellas optavit. Hoc autem alienum. Ille ipse *noctes* sibi *amaras* queritur in hac elegia, ipse *non sani pectoris* auxilium ab amicis petit; ipse denique *nullo vivere* se *consilio* fatetur, quod si aliter accipis quam de poeta, qui nullum sibi sumpserit tractandi argumentum, sensu caret; qui enim viles venatur, consilium certe habet, quamvis pravum. Quem Lachmannus affert v. III, 15, 9: *Peccaram semel et totum sum pulsus annum*, in eo *Semel* amisit, quod ipsum tamen nostram confirmat sententiam. Unius delicti poenas per integrum annum dedit. Considerato autem, quaeso, unusquisque totam, de qua agimus, elegiam nec, vilium puellarum mentionem ve-

hementer ab ingenio carminis tenerrimorum et tristium affectuum pleni abhorrere, negabit.

Vehementer interpretes offenderunt in *ergo* particula ap. Prop. III, 2, 27:

Hic erat affixis viridis spelunca lapillis
Pendebant cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum et Sileni patris imago.

Jure Lachm. eos, qui *ergo* cum Forcellinio per *deinde* explicant, irridet atque *ergo* ita positum contendat, ut uberius aliquid enarretur. Quae vero affert exempla, ex iis duo tantum e Virgilio petita quadrant, nam in Propertii loco I, 1, 15 et in Albinovani versibus, etiam a Passeratio et Burm. adductis, *ergo*, ut saepissime, cum dolore et indignatione dictum, ut Graecorum ἄρα de quo usu v. Herm. ad S. Aj. v. 1005, qua significatione initium orationis facere solet haec vox. infr. III, 6:

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es.

Pari modo Hesiodus Opera et Dies incipit. Male Wernsdorf. in illo Albinovani loco *ergo* p. *autem* vel *sed* accipit. Ad nostrum locum facit Horat. Sat. II, 8, 156:

Quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus.

Hoc in loco *ergo* cum Graecorum εἶεν egregie congruit. Reisigii hac de voce disputata enarr. v. 1303 Scholiasta confirmat Demosthenis adv. Leptin. §. 19: ἄλλος τρόπος λύσεως ἐντεῦθεν. Et hanc ob causam γὰρ saepe post h. v. infertur v. Heindorf. Addend. ad Plat. V. I, p. 357. cf. etiam ejusdem Platonis Symposion p. 176. Crebrius Latini *quid* hac usurpant significatione. Rarior significatio *ergo* particulae apud Silium reperitur, qui ea in comparationibus p. *sic* vel *ita* bis usus est IV, 720 et 780. Inter *ergo* et *Musarum* Lachm. e conjectura *hic* inseruit. *Illinc* jam legitur in Ferrarii libro dubitavitque temere Broukhusius de hac scriptura, ut nunc apparet e Burm. Addend. p. 925. Sed nihil mutandum: saepe enim, quod a me observatum, alibi pluribus confirmabo, Propertius ita locutus est, ut, amissa particula causali vel ad transitum faciendum necessaria, oratio evaderet abrupta. cf. II, 21, 2 et III, 2, 17. Ut h. l.

ergo, sic *igitur* reperitur III, 14, 21 et similiter se habet *tamen* particula, quae numquam aliam adsciscit significationem, quam suam et restrictivam, veluti II, 30, 13, ubi *tamen* neque cum Passeratio et Burm. ad II, 1, 76 p. *tandem* accipiendum, neque cum Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 50 p. *quidem* neque etiam, ut Scaliger. voluit, abundanter dictum est. Est haec sententia: Si verum quidem est, uod tamen nolim affirmare. Recte Wolfius ad Suet. Tib. c. 11: „Nimirum *tandem* subauditur." Male Burm. mutare voluit II, 4, (5) 5. ed. suae; meliora docet Weberus ad Juven. III. Sat. v. 98 sqq. *Tamen* p. *tantum* dici aliquando somniatum refutavit Dukerus et post eum Ruhnk. ad Vellej, P. II. c. 28. Nostra lingua prae aliis apta est diversas has exprimere significationes. Interdum inest notio causalis, ut Tac. Annal. XIII, 6 et Juven. Sat. VI, 640 loco aeque frustra tentato ac Sat. VIII, 25 v. sic distinguendo:

Sanctus haberi
Justitiaeque tenax factis dictisque mereris?
Agnosco procerem.

Concedo te esse vere nobilem. Agnoscere dicitur de iis, qui confitentur, aliquid concedunt. v. Appul. Apol. p. 385. Tac. Annal. VI, 8 et 11 ex Ernesti emendatione. adde Ruhnk. ad Vellej. P. II, c. 95. Ejusmodi igitur in locis *tamen* p. *saltem* et *certe* dici volunt ut Goerenz. ad Cic. de legg. I. §. 7 et Acad. G. I. §. 38. Dignus est, qui diligentius consideretur, Tullii locus de senect. §. 16. Apud Appulejum *tamen* saepe, ut aliae particulae, abundat ut Met. V, p. 324. Quomodo inter se *et tamen* et *sed tamen* differant, hoc solum a *sed* vel *et* pendere videtur. Exempla utriusque formulae satis multa collegit Santenius ad Terent. M. c. 11 v. 754. Cur autem *et tamen* ibi multis locis reponere malit, nondum mihi liquet. Certe in Prop. l. III, 17 (15) 21 *sed tamen* consolatur quodammodo; praecesserat: omnia devorabit ignis quamvis magnifica; sequitur consolatis: at hoc malo nemo umquam fuit exceptus. Res ipsa tamen de illo *sed* et *et* ad liquidum ab eo perduci tantum potest, cui otium et occasio antiquissimas scriptorum evolvendi editiones data est.

El.

El. I. v. 173 sqq.:

Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
 Non sunt ab dextra condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
 Poscitur invita verba pigenda lyra.

Primum v. Heinsius sic concinnavit, cum libri *vage* vel *vaga fata* et *discere* p. *dicere* aliasque praebeant discrepantias. Heinsianam scripturam, hucusque omnibus probatam, primus Lachm. repudiavit, et quod in nullo libro *vaga facta* legeretur et quia, quae essent haec facta nesciret. Ac primum quidem leve est argumentum, cum *vaga fata* (quod idem est) complures nec spernendi libri habeant et *facta* Voss. IV a. m. sec. nec aliter, ut videtur Groninganus, et *vaga verba*, quae scriptura Lachmanno ex interpretatione nota esse visa est, in tribus probis codicibus legitur. Majoris momenti alterum est, quod Lachm. objecit: certe non explicatum est, quae sint vaga haec facta. *Vaga* autem *facta* commode ea videntur dici posse, quae non historicis documentis confirmata, sed poetarum cantu et vulgi ore tradita eamque ob rem incerta sunt. cf. v. 75. Ejusmodi autem facta cantaturus est Propertius, ut praecedentibus apparet. Neque tamen Menteliani, Bononiensis (optimorum librorum) et Regii scripturam *verba* spernendam arbitror, cum *vaga verba dicere* idem significet, quod alioqui *copiose dicere*, v. Ern. Clav. s. *vagus*. Quaecunque praeferatur scriptura, utraque convenit sententiae, quod tamen non dixerim de Lachmanni emendatione:

Quo ruis imprudens, *vage*, dicere, *fata*, Properti?

Vagus scriptor est incertus, ut utrumque v. conjungit Tac. II. Hist. c. 73: *vagis adhuc et incertis auctoribus* et I. c. 33: *vagus primum et incertus rumor.* Quae vero causa est isti Horo, hoc inferendi Propertio dedecus, qui eum ad aptiora tantum argumenta reducere vult, nusquam cupidinem res majores canendi exprobrat. Deinde cum Lachmannus, ut triplicis vocatici molestia evitaretur, *imprudens* primo casu dictum velit, id obstat, quod *imprudens ruere* semper fere dicatur, ut ap. Tacit. I. Ann. c. 7. Hist. II, c. 34. Ter. Heaut. I, 3, 128. *Vagus* autem *ruere* vix dici potest,

cum *ruens* certum aliquid petit, quamvis incautus, *vagus* autem nullo consilio errat. In secundo v. *dextro* optime Lachmannus restituit probavitque Handius ad Stat. Silv. I, 2, 24 praeterea sic scribens: *Non sunt a dextro condita fata colo.* Confirmant quidem hanc conjecturam exempla Marklandi apud Burmannum, non tamen necessaria videtur, cum condere de cujusvis rei initio dicatur; *a* contra, pro quo nunc *ah* legitur, bene se habet, ita ut plane ad librorum scripturam legendum sit: *Non sunt a dextro condita fila colo.* Majores turbas sequens distichon excitavit, praesertim praeclara Heinsii emendatio, quae an vera habenda sit nec ne, critici dubitarunt, imprimis Lachmannus. At sane verum videtur, Charites a poetis Latinis non invocari. Factum est vero a Graecis et quidem, quod gravissimum, a Callimacho fr. CXXI:

Ἕλλετε νῦν, ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπώσας
Χεῖρας, ἵνα μοι πουλὺ μενοῦσιν ἔπος.

Et sic Pindari Scholiasta IV Nem. *Ἐάν γε χωρὶς χαρίτων γράφηται ὁ λόγος, ἀπέλωλε καὶ ἔσβεσται. ἐὰν δὲ μετὰ χαρίτων μένει πρὸς αἰῶνα.* adde praeclaram de hoc Callimacheo fragmento Hemsterhusii annotationem. Qui locus profecto facit, ut divinitus Heinsium sic conjecisse credendum sit, nec alia tentandum. Nihil apud Pindarum frequentius Musarum invocatione v. Boeckhii indicem. Hipponicus *ἅρμασιν ἐν χαρίτων φορηθεῖς* Simonidi dicitur ep. LXXII, quem locum eruditae Augusti Boekhii humanitati debeo. De ipso hoc epigrammate, quod in transcursu moneo, cf. Wunderlich. in Seebodii Misc. cr. II, 1. Nec aliter idem Simonides ep. LXIV. LII. Cui denique non Theocriti Charites dictae? Librorum scripturae, quas perspicuo modo Lachm. annotavit, facile ducunt ad hanc conjecturam: *Incessit luctu cantantem aversus Apollo*, cf. Stat. VI, Theb. v. 159, qui omnino omnium fere maxime *incessere* v. utitur. Lachmanni emendatio, si mutationem spectas, non adeo dura est, sed aliena, quod attinet ad sententiam. Displicet *Arcessis Latium*, multo magis abrupta oratio. Igitur, acquiescamus in recepta scriptura, quae quidem non laudari debet, ut extra omnem dubitationem posita, quod Wernsdorfius fecit Poett. L. M. T. III. p. 210, sed probanda dum

certius aliquid novi afferant libri, sine quorum ope nihil ultra hoc lòco tentandum est. Certam sibi videri Heinsii emendationem D'Orvillius affirmat etiam ad Char. p. 673. *Aversus Apollo* est ἄνευ μανίας, ut Plato dicit Phaedro p. 245. A ubi cf. interpretes. Facete Martialis ludit VIII, 61:

> Scribit in aversa Bicens epigrammata charta;
> Et dolet, averso quod facit illa deo.

Postremum v. non, ut Heinsius fecit, mutandum esse Lachm. recte monuit, quamquam ejus argumentationem vix intelligo. Nihil enim in Heinsiana potest vituperari correctione, quam id, quod sit supervacanea, cum eadem sententia jam insit librorum scripturae.

IV, 4, 55:

> Sic hospes pariamne tua regina sub aula
> Dos tibi non humilis praedita Roma venit.

Speciosa est P. Burmanni conjectura:

> Sis sospes pariamque sua regina sub aula.

quae etiam Wyttenbachii tulit assensum. Sed, si quem pulcritudinis habeo sensum, frigida est. Tarpeja enim illa, ardentissimo incensa amore, et qui est cujusque amoris fons, admiratione impleta, non quaerit de Tatii incalamitate, quem laedi posse nullo modo arbitratur, sed de conditione, qua apud illum vivere possit. Idem autem amor facit, ut quaecunque haec sit, eam accipiat. Iccirco sic eam locutam esse censeo:

> Sive hospes pariam tua seu regina sub aula.

Hoc puellae convenit affectibus pariter ac Virgilianae Scyllae in Ciri v. 443:

> Mene inter comites ancillarumque catervas
> Mene alias inter famularum munere fungi.

Neque aliter Catullus LXIV, v. 158 — 164. Nam submisse hujuscemodi feminae, quae ipsae virum petierunt, non se peti exspectarunt, de sua loquebantur conditione. Ovidius ep. VI, 117:

> Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti;
> Me quoque *res* tales inter habere potes.

Hunc locum, a Burmanno item hûc adductum, idem post alios frustra tentavit ad I, 8, 35. Conditionem

autem Tarpeja nancisci talem optavit, qualis fuit Tecmessae δουρίληπτης aliarumque, quae apud Homerum commemorantur, ut Il. IX, 664—669. *Hospes* vero non, ut quidam opinatus est, Tarpeja pro pelliceum dilectu dicta est, sed Graecorum est ἐμπελάτειρα v. Callim. fr. CLXX et Brunck. ad Ar. Acharn. v. 132, vel ὀθνειή v. Agathiam ep. III, vel etiam μετάναστη, de quo v. Jacobsius adeundus in Wolfii Analectis litt. Vol. II. p. 43. Simili modo Venus ad Anchisen H. in Vener. v. 137:

εἴτοι ἀεικελίη γονὴ ἔσσομαι ἠὲ καὶ οὐκί.

Iliad. III, v. 409:

εἰσόκε σ' ἢ ἄλοχον ποιήσεται ἢ ὅγε δούλην.

Sic Horatius *mulier peregrina*. v. Columnam ad Ennium p. 321. Quod attinet ad litterarum ductus, nihil facilius Burmanni emendatione esse concedo; nihil contra quod magis alienum sit a sententia, idem contendo. Tarpejae animo simile quid Scylla cogitavit in Ciri v. 270, qui locus non ad immortalitatem futuram trahendus. Apud Rutilium I Itinerarii v. 52 e Cuperi sententia *hospes* reponendus; quod vulgo legitur *sospes* absurdum est. Contra in Hildeberti de Romae ruina carmine v. 14, nihil muto. Pietas hospitii i. e. asylum auxit crescentem urbem non minus atque aqua (ap. Wernsdorf. I. V. P. I) propinqua condendae urbi utilis fuit. Facit huc egregia et non longe a poetico sermone remota Tullii descritio de urbis situ de rep. II, c. 3—6.

Versus ultimi:

A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus,
O vigil, injustae praemia fortis habet.

Quod in hoc v. negatur, Tarpejum, vel potius, ut cum Passeratio legendum, Tarpejam ducem vocari posse, id nullo modo video, quippe quae consilia hosti dederit viamque monstraverit. Secundo v. *virgo* p. *vigil* emendarunt Guyetus, Heinsius et Burmannus, qui majore contentione sic versum refinxit:

O virgo injusti praemia Martis habes.

Cur autem *vigil* minus bene se habet? v. v. 84. Callim. H. in Jov. v. 81 cum Spanhemii observatione. Deinde bellum non gessit virgo, sed occulte prodidit. Lege:

O vigil, *incestae* praemia *noctis* habet.

O Juppiter, satis dignum proditionis illa nocte commissae praemium improba accepit. *Incestae* facile in *injustae* mutari potuit, ex qua corruptela deinde *invisae*, Leidensis primi scriptura, originem traxit. *Incestus* autem proprie amor dicitur, in quo pietas laeditur. Petebat enim Tarpeja *incestos thalamos* et navem, qua Helena Trojam vehebatur, vocat *incestam* Statius II. Achill. 364. Atrociter Horatius apud Livium I, 26: *Abhinc cum immaturo amore ad sponsum*, inquit, *oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat, quaecumque Romana lugebit hostem.* Possis igitur *amoris* etiam scribere p. *fortis* v. Lucan. X, v. 116. Plin. Panegyr. c. LXIII, sed *noctis* magis placet. *Nox nefanda* Statio commemoratur I. Theb. v. 69 et non longe idem abest a nostro v. l. l. X, v. 337:

Phoebe, tibi exuvias monstratae *praemia noctis.*

Contrariam emendationem in Statii Silv. I, 2, 31 Marklandus fecit, receptam ab Handio, quorum annotationem legisse operae pretium erit. Fortasse tamen acutior quam verior hoc in loco Marklandi est correctio. Si *sors* in nostro v. pro *matrimonio* accipi possit, de quo tamen dubito, nulla vox egeret emendatione. — Cum Tarpejae historia non alienum erit comparasse, quae Parthenius de Polycrite narrat Erotic. c. IX, in cujus scriptoris c. VII. §. 2 non satis mirari possum, quomodo Passovius, vir graece perdoctus, Schneiderum sequi potuerit *τελέσειν* conjicientem pro codicis scriptura *τελέσαι.* v. Reisigii disputata ad S. Oed. Col. Com. Cr. p. 190 sq. Math. Gr. p. 707 et exempla ab Haakio collecta ad Thuc. I, c. 90. Quod in transcursu monemus Parthenii locus VI. §. 1 Passovii explicatione minime illustratur; exempla ab eo allata aliena; vincendi notio necessario requiritur. Alioqui quidem satis frequens est hujusmodi breviloquentia, ut membrum orationis alterum omittatur veluti ap. Xen. Cyrop. I, c. 2. §. 9, ubi Poppo quidem veram recepit scripturam, quam praeclari libri Guelf. Alt. et Stobaei apud Gaisfordum codex A praebent, sed temere in ea haesit explicanda. Ut enim Heindorfii conjecturam, quae nullius est momenti, praeteream, ἡμισείας superiori πάντες respondet, καταλείπει ἐξίῃ vel, ut Stobaeus habet, ἐξάρῃ verbo apponitur. Ἔχειν

praemittitur, quia scriptor jam non de iis loquitur, qui regem comitantur, quod jam praecedentibus intelligitur, sed de armis locuturus est, quos secum illi ferant. In ejusdem operis l. V, c. 2. §. 26 pari modo inanes excitarunt editores turbas. *Oi* referendum ad *στρατιάς*, quia haec vox collectivam habet notionem, cf. Koen. ad Greg. Cor. p. 71, Thucyd. I, c. 12, ubi ad *ἀποδασμός* pertinet *ἀφ' ὧν*, neque aliter Tacit. Annal. l. 1. c. 47 Tiberium inducit deliberantem: *Validior per Germaniam exercitus: propior apud Pannoniam: quos igitur anteferret?* — Insignes autem sunt in nostra elegia versus, quibus Tarpejam nocte furiis ad facinus patrandum stimulatam esse narratur. Praeclare hunc in modum Valerius Flaccus VIII, 8 de Medea a patria discessum parante:

> Quosque fugit, complexa toros crinemque genasque
> *Ante per antiqui* carpsit vestigia somni.

Versum aperte vitiosum Burmannus sic correxit:

> Ungue per antiqui carpsit vestigia somni.

Codices non variant, nisi *per onti* in Vaticano I legitur. Antiquum somnum pro *praeterito* accipiendum idem annotat Burm. nec haec significatio optimis est inusitata scriptoribus. cf. Ov. ex Ponto I, 5, 38. Illa autem vestigia somni praeteriti non satis intelligo: somnus enim nondum affuerat, sed frustra eum Medea quaesivit, nec, quae ille vestigia relinquere possit, video. *Ungue* etiam in hoc loco displicet, cum *ungue genas lacerare* furentibus et desperantibus magis conveniat, non iis, qui, inter duo consilia, quod potius et praeferendum, trepidant, vehementerque anguntur, non tamen mentem abjiciunt. In illa autem Vaticani I lectione fortasse vera latet scriptura, nempe: *Ante irrepentis carpsit v. s.* Stat. Theb. VIII, 217: *facilis lacrimis irrepere somnus. Obrepere* de somno Sen. Troad. 441 et *repere* cum compositis suis cum de somno tum omnibus de rebus dicitur, quae latenter ad nos veniunt. cf. Schrader. ad Avien. v. 1145. Eadem qua Medea conditione Scylla in Ciri v. 174:

> Saepe etiam tristis volvens in nocte querelas

ubi Heynius speciose, fortasse tamen non vere, legit:

> Saepe etiam tristes volvens in pectore curas.

Admonent me disputata Vellejani loci l. II, c. 91, ubi de Rufo Egnatio: *Cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus.* Ruhnkenius Heinsium e parte secutus conjecit: *Omnium flagitiorum scelerumque sentina mersus. Omnium* probum est, in relicuis mirum in modum vir ingeniosissimus pariter ac doctissimus a vero aberravit. Una tantum litterula mutata, optima evadit sententia: *conscientia morsus.* Mordemur male factorum conscientia v. Cic. Tusc. G. IV, c. 20 et Burm. ad Prop. p. 554. Stat. III. Silv. II, 119:

> Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno
> Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

morsa Heinsius conjecit, quod praeferendum videtur ei, quod Marklandus excogitavit: *blando qua mersa veterno.* In praecedente Velleji capite haec leguntur verba: *Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus coalescentibusque reipublicae membris et coram alieno quae tam longa annorum series laceraverat.* Legendum suspicor: *conglutinatis.* Nihil certe vel alii vel ego invenire potui, quod propius ad litterarum accedat ductus.

IV, 7, 63:

> Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
> *Narrant historiae pectora nota suae*
> Haec sua maternis queritur livere catenis
> Bracchia nec meritas frigida saxa manus.
> Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores;
> In scelus hoc animum non valuisse suum.
> Sic *mortis lacrimis vitae sanamus amores.*

In hac codicum et impressorum librorum scriptura complures jure offenderunt editores. Jam Livinejus et Schottus, quae sint *pectora nota* frustra quaerentes *pignora* conjecerunt, quod Burmannus probavit. Et habet profecto haec emendatio, quo se tueatur. Non solum enim *pignora, corpora, pectora* crebro confunduntur, sed omnino trisyllaba dactylica saepe in libris pro se invicem substituuntur. v. Markl. praef. ad Statium p. XI cum Handii annotatione. Multo autem in nostro loco illorum conjectura praeferenda est commento, quod alii excogitarunt *corpora*, quae vox, hîc inepta, militibus convenit. v. Gronov. ad Statii Theb. v. 488. Explicat autem Burmannus locum sic: *Perseus seq. di-*

sticho propter Andromeden vinclis solutam et Hypermnestre propter pietatem Lynceo praestitam velut fidi amoris pignora dicuntur. Quae sententia an his verbis inesse possit, valde dubito. *Pignus* ex ejus interpretatione et ad Persen et ad Hypermnestren refertur, quod intellectu difficillimum. Deinde Persea fidi pignus amoris commode dici non arbitror, qui non ante Andromedam, quam catenis ligata monstro marino objecta esset, viderat, multo minus amaverat neque prudens, sed fortuito ad illum devenerat locum. *Pignus* denique de parentibus quidem et omnino consanguineis, maxime de liberis dicitur, sed hoc loco *pignus historiae* quid sit, ipsi Burmanno non perspicuum fuisse videtur. Ut aliorum conatus praeteream, Marklandus voluit: *historias, pectora nota, suas.* Ut venter et jecor cupiditatum et animi aegritudinum sedes sunt, sic pectori insunt affectus honestiores: ira generosa, fortitudo, amicitia; ipsa memoria v. Broukh. ad Tib. III, 1, 20 et ingenium moresque hac significantur voce. *Tu non corpus eras sine pectore,* quibus cum verbis cf. Gevartii ad Statium dicta Silv. II, 6, 9. Exquisita quaedam ac minus protrita exempla, quae hujus vocis potestatem illustrant, Salvagnius profert ad Ovid. Ibin v. 27, sed nec in his nec in reliquis, quae mihi sunt nota, reperiuntur, qui Marklandi tutentur sententiam. Ipse exempla miscet plane diversa, nec, quo nomine heroïnae illae vocentur *pectora*, explicat. Atque etiam, si *pectora* dici concedimus vel quia fortes fuerunt vel quod fidae, neutrum convenit. Fortes ambae non fuerunt, certe tales fuisse non traditur. Fida erat Hypermnestra, sed quis Andromedam fide nobilem reddidit? Deinde earum erga maritos pietas satis verbis: *sine fraude maritae* declaratur, nec cur idem repetatur, video. Lege:

> Narrant: historia pectora mota sua.

Narrantium animus recordatione movetur. Auson. Cupid. cruci aff. v. 14:

> Exercent memores, obita jam morte, dolores.

Hom. XI. Od. 541:

> Αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων
> ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε', ἑκάστη.

Hinc illa *ἄλγεα πικρὰ θανόντων* crebro commemorata, ut in ep. adesp. 3 ap. Brunck. V. III, p. 145. cf. D'Orvill. ad Charit. p. 504 et *immemor pectus* de conjuge legitur ap. Catull. epith. Pelei et Thetid. v. 121. *Notus* et *motus* confunduntur, ut quivis videt facile. Sic. II, 29 (22) 38) *motus* legendum videtur, quod jam alii voluerunt. De *narrare* verbo dicetur postea; nunc, occasione data, Ausonii in carmine modo laudato *lacrimas vigentes* ab editorum mutationibus defendamus Homeri *θαλέροις δάκρυσι,* quae Theocritus in mente habuit δ v. 31:

Ἔκλαεν ἐξαπίνας θαλερώτερον κ. τ. λ.

Nolo tamen dissimulare, si *pectus* bene dictum probari possit, Lachmanni ratione, qua *narrant* absolute dictum est, ut etiam ego feci, vulgatam posse servari, cui valde favit I, 15, 25:

Tu quoque uti fieres nobilis historia.

In sequentibus Burmannus veterem reduxit scripturam *sanamus,* pro qua Broukhusius e nonnullis Passeratii libris *solamur* ediderat, quod pariter ad vulgatam explicandam vel potius corrigendam excogitatum videtur ac *satiamus,* ut e Palatino Gebhardus affert, quicum duorum Vaticanorum scriptura consentit neque aliter Perrejus enotaverat e vetere codice. *Satiatur* quidem *ira* sed vix *amor,* quamobrem nemo Burmannum vituperabit utramque rejicientem lectionem. Ipse vero, totum versum a sciolo glossatore corruptum esse, sic scribendum censuit:

Sic (vel *Hic*) *moestis lacrimis veteres sanamus amores.*

vel etiam:

Post mortem lacrimis veteres sanamus amores.

Ac *veteres amores* probe dici non dubito et ipse Burm. locis probat, quos jam ad Lotichium p. 111 adduxerat, quod tamen, ut saepius, monere oblitus est. Quod autem putat, illud acumen in *vitae* et *mortis* oppositione insulsum et inficetum esse, non verum arbitror, si modo, quae sint mortis lacrimae, recte intellexeris. Sunt autem lacrimae e morte vel ob mortem exortae.

Cic. de Orat. III, §. 7: *reipublicae dignitas*, ubi Ernestus: i. e. dignitas e rep. bene gesta. Add. ep. ad famil. V, 17 et Heinrich. ad Cic. fragm. p. 94 sqq. Tac. Annal. I, c. 9: *necessitudo reipublicae* i. e. necessitudo nata e conditione reip. Apud Propertium II, 23, 22 (18, 70) *custodum nulla septa timore* est, cujus latus non circumdant custodes metum injicientes. Haec librorum scriptura servanda, quamquam, quae, in multis editionibus scriptura *tumor*, aptior est quam Hemsterhusius putavit. Ad fastidium enim et tumorem spectant praecedentia cf. etiam Horatiana in l. I. Sat. II, 95 sqq. Rufini ep. 1 σοβαρὸν φρύαγμα. Multo magis Graeci hoc in re sibi indulserunt monuitque scite Schaeferus compluribus locis de lato genitivi usu. Sufficiat Porsonum indicasse ad Eur. Orest. 426. Adde Soph. Phil. 551 et Buttmannum ad ejusdem fabulae v. 434. Erfurdt. ad Antigon. v. 10. Callimach. H. in Jov. 79:

> Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ἔχει Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
> Θειότερον.

Vulgo p. ἔχει legitur ἐπεί. Ruhnkenii emendatio ἄνακτος non meliorem efficit sententiam, ut bene judicat Ernestus. Nostra ratione optime oratio procedit. Quid autem est *sanare amorem?* An *expiare* ut ap. Sen. Herc. fur. 1261? Non, hercle, credo cum ab ipsa pietate Cynthia illas laudet. *Curae non ipsa in morte relinquunt* et hae quidem *sanantur* v. Bronkh. ad I, 11, 17, sed huc, ut credo, talia non faciunt. Igitur, cetera verba ingenua putans, pro *sanamus* legerim *memoramus* vel etiam *narramus*, cf. Stat. Theb. XII, 390 sqq. VIII, 617. *Narramus* quidem sic ter positum offendere possit, nec tamen ob id rejiciendum est. v. Burm. ad I, 7, 23, qui tamen, suae ipsius annotationis immemor, ubique fere, quo idem v. repetitur, quod satis frequens in nostro, corrigendi causam avide inde arripit. Repetitio eorundem verborum, ut jam supra diximus, duplex est vel ad vim augendam vel e negligentia. Bene Jahnius Horatium defendit I. Carm. III, 25, ubi *audax* vi repetitur. cf. D'Orv. ad Charit. p. 321 sq. et 388. Sic *dirimere* Livius repetit I, 13 cl. Huschk. ad Tib. p. 92, *bonis* repetitum apud Statium I. Silv. 3, 106 loco venusto, quem corrigendo corrupit Marklandus, resti-

tuit nativam simplicitatem Handius. Anthol. Lat. T. II. p. 122 bene:

Quam petiere homines, quam petiere dei.

ubi frusta Burmannus *qua periere dei* corrigit. Apud Sen. Herc. fur. 767 optimorum librorum scriptura *squalent*, icciroo certe non rejiciunda fuit, quod praecesserat *squalidus*. Eodem modo et Curtius IV, 1, 22. Cic. Orat. c. 18: „*Dicit* plura etiam Demosthenes illumque saepe *dicit* voce dulci et clara fuisse", ubi, ne quis *subjicit* p. *saepe dicit* conjiciat, monendum hoc verbum illa significatione non esse Tullianum. *Narrare* autem, quod nostra conjectura in praecedentibus absolute positum est, ut etiam Lachmannus fecit, in relicuis probabiliorem ad defendendam codicum scripturam quam praecedentes editores iniens rationem, est confabulari, Graecorum *λαλεῖν*. Bion. ς', 8:

λαλέειν γὰρ ἐπέτραπεν ἁ σχολὰ ἄμμιν.

Verbi hujus, plerumque de mulieribus usurpati, potestatem Eupolis optime docet ap. Gellium I, c. 15: *λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.* Quae Jacobsius contendit ad Achill. Tat. p. 7, 14 et 74, 32, ejus exemplis non demonstratur, neque umquam, puto, demonstrabitur.

IV, 8, 9:

Talia demissae pallent ad sacra puellae
Cum tenera anguino creditur ore manus.

Temere optimi libri, alii *tremere; tenera* e suo codice Scaliger, quem posteriores sequebantur, praeter Lachmannum, qui *Cum tremere* recepit, *ore* tertium esse casum recte negans. In Lachmanniana tamen scriptura illud *creditur* mirum in modum languet ac vix sensum praebet. Videtur autem hoc verbum ita natum esse, ut, cum *ore* tertio casu acciperetur, huic librarii mutarent antecedens verbum. Lege:

Cum temere anguino *cedit ab* ore manus.

Sic optime ac plastico fere modo trepidatio vana virginum describitur. Sil. Ital. VI, 172:

trepidosque et multa paventes
Arcano gressus audemus credere luco.

Nihil autem frequentius *credere* et *cedere* verboru permutatione. Correctione indiget idem Silius VII, 515

Dividitur miles; Fabioque equitumque magistro
Imperia aequantur penitus; *cernebat* et expers
Irarum senior, magnas ne penderet alti
Erroris poenas patria inconsulta, timebat.

Penitus ad praecedentia trahendum esse Burmannu major probe perspexit; *cernebat* vitiosum esse sensi sagax N. Heinsii ingenium, nihil autem proficit eju conjectura *spernebat*. Scribe: *cedebat*, quo verbo d eodem Fabio eadem in re Silii exemplar, Livius, usu est l. XXII, c. 27. Apud Propertium II, 32, 25:

Sed tu non debes inimicae credere linguae.
Semper formosis fabula poena fuit.

Jacobus in prolusione scholastica Gymnasii Posnanien sis p. 9 sq. pro *credere* legendum censuit *cedere*. Hoc v. Scaliger egregie, ut Lachmannus etiam dixit, pro *tu* conjecit *te*. *Tu* denuo in textum intulit Lachmannus. Propertium ipsum se alloqui suspicatur, in quo ei praeivit Passeratius. Hoc, quamvis ingeniose excogitatum, habet nescio quid ingrati nec aptum videtur. Ex Jacobi emendatione nimis aperte et, ut ita dicam, candide poeta Cynthiam adhortaretur ad peccandum eamque, quasi ad pugnam cum fama iniendam, provocaret. Bona est librorum scriptura: Tu non debes *credere* i. e. aures dare rumori. Ille enim res auget. Non tam effrenata, ut fortasse nonnulli tradunt, tu es; noli igitur, leviter, sed non improbe agens, rumori credere, te nequitiis obrutam esse clamanti, praesertim cum pulchra quaeque ob invidiam differatur. Ad haec Propertii de pulcritudinis molestia loco valde apposito Achilles Tat. p. 18. l. 26: *Τὸ γὰρ κάλλος ἔχει τὴν κατηγορίαν τῶν κακῶν καὶ τοῦτό ἐστιν ἐν ἀτυχήμασιν εὐτυχεῖν.* Miror Gebhardum, qui diligenter ceteroqui Tatium cum nostro componere soleat, hunc omisisse locum.

Perelegans est, quod Propertii loco, de quo egi paullo ante, in memoriam redit Ponnani epigramma de pictura Cleopatrae morientis in Anth. Lat. T. I. l. II, LXXI:

Picta fuit quondam Pharii regina Canopi
Artifici formata manu: nam vivere serpens
Creditur et morsa gaudens dare fata papilla.
O quam vivit opus! nam pene figura dolorem
Sentit! et ex ipso moritur pictura veneno!

t frigidam et improbabilem Burmanni praeteream njecturam, praeclare Oudendorpius:

nam *sugere* serpens
Creditur, *at morsae* gaudens dare fata *papillae*.

o *sugere*, fortasse scribendum *ducere*, cum voluptate iccirco lente haurire; *trahere* enim Cleopatrae memá soporem dicuntur apud Propert. III, 10, 54. *Vivere* tem et *ducere* frequenter confunduntur. Cur *et* mutur, nullam video causam. *Morsae papillae* probandum t, nisi *morsu* e cod. Salmasii mavis et deinde *papillae*. sequente versu *nam* intolerabile est; scribe *quam*.

IV, 11, 70:

Et serie fulcite genus; mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata *satis*.

ic hunc versum constituendum censeo, praetermisis aliorum disputationibus, quas hic recoquere non vat. *Tot sati* sunt Corneliae liberi, qui *tot* vocari ossunt, cum hoc v. saepe usurpetur, ubi non plus tres erunt. v. Gronov. ad Senecae in Thyest. v. 523 ab illo estitutum et Lipsium ad Tac. Annal. VI, 23. Juven. X Sat. .248 Nestoris annos *tot secula* vocat. *Augere* est clarum, obilem reddere, ut saepe. Dicit igitur, suam mortem lustrem factum iri liberis relictis. In sterilitate enim upremam obiisse diem feminis fuit luctuosum. Contra *θαλλούσαι εὐγενεῖ τέκνων σπορᾷ* tamquam munere uo functae libenter e vita decesserunt. Verissime grippinae fecunditas *infelix* vocatur a Tacito II Anal. c. 75 loco, in quo nihil est, de quo miraris, quam uisse, qui eum tentarent. *Satis* possis accipere vel pro articipio, quod tamen sic positum, non facile reperiur, vel potius pro adverbio.

Addam hoc loco, frustra laborasse editores in v. 93:

Discite venturam jam nunc *sentire* senectam.

Sentire est animum advertere ad senectutem paullatim venientem, cujus curae, ut tollantur certe minuantur, vobis curendum est, ne via sit, qua curarum molestia

coelibem senem augeat. Similem locutionem: *m… discere et sentire deum* Gronovius illustrat Obss. I… c. 15. Nec longe a nostra explicatione abest Wytte… bachius loco apud Orellium. *Lenire* nonnulli volu… ut etiam Lachmannus. Exquisitius foret *munire*, … Lucretius IV, 1032: *nateis munire senectam.*

Nunc ad finem properantes ab acerrimo Graeco… rum poetarum imitatore ad illos ipsos transire plac… Venustatem elegantiamque fragmenti Hermesianact… plane admirabilem, criticorum longe acutissim… Schlegelius, in Athenaeo jure meritoque summis extul… laudibus; quo magis dolendum, carmen hoc tantis tam… que foedis inquinatum esse corruptelis, ut de integr… ejus restitutione sine meliorum Athenaei codicum op… desperandum esse videatur. Quae nos tentavimu… doctorum nunc subjiciamus examini. V. 41 sqq. d… Antimacho Colophonio sic loquitur:

Λυδῆς δ᾽ Ἀντίμαχος λυσηΐδος ἐκ μὲν ἔρωτος
Πληγείς, Πακτωλοῦ ῥεῦμ᾽ ἐπέβη ποταμοῦ·
Δαρδάνην δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρὴν θέτο γαῖαν
Κλαίων, αἰάζων δ᾽ ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
Ἄκραν ἐς Κολοφῶνα.

Sic Schweighaeuserus hunc locum constituit: *Δαρ… δάνη* cod. Venetus. Ruhnkenius *Λάρνακι νίν δὲ θανοῦ… σαν κ. τ. λ.* conjiciens, de sequente versu desperat, eu… monstrose depravatum esse pronuncians. In hoc cod… Medic. habet: *Καλλίω ναίζαον διῆλθεν.* Venet. *Καλ… λιόνα ἴξαον διῆλθαν· δ᾽ ἦλθεν* jam Casaubonus correxit. Quae in verborum, ut ajunt, textum recepta est scri… ptura, ea Ilgenii debetur sagacitati. Id tamen contr… ejus monendum est emendationem, tautologiam si… oriri ab Hermesianactis brevitate alienam: in sequen… tibus enim abunde Antimachi querelae declarantur: *γόων δ᾽ ἐνεπλήσατο βίβλους.* Vix etiam *ἀποπρολιπὼν* habet, quo referatur. Aliorum conatus minus etiam probabiles in animadversionibus ad h. l. diligens enu… merat Athenaei editor. Si Antimachi Lyda carmen nobis servata esset, quamvis non adeo laudatum Calli… macho fr. CCCCXLI, certius agere liceret, nunc ad divinandum rejecti, id quam maxime fieri potest pro… babiliter facere debemus. ' Si poetam Sardibus puellam

illam secum duxisse eamque in itinere mortuam esse, ponamus, sic facillime legi poterit:

Δαρδανίῃ δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρὴν θέτο γαῖαν·
Καλλίναον Ξάνθον δ' ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
Ἄκραν ἐς Κολοφῶνα.

In dativo, si quis offendat, is Mathiae legat dicta in Grammat. p. 550 ed. prioris et sic Thucyd. I. c. 73 s. f.: 'φαμὲν γὰρ Μαραθῶνι κ. τ. λ.' ubi Haakius aliud ex Platone affert exemplum, cui adde Arist. Thesm. v. 806 cl. Eupolidis v. ap. Longinum de subl. 16, c. 3, et Hesiod. fr. XXV ed. Gaisf. ubi Ruhnkenius: „φθίῃ, inquit, scripsimus, hoc est, ἐν φθίῃ" · Xanthum flumen a diis vocatum, Scamander ab hominibus ab Homero plerumque βαθύῤῥοος, ἀργυροδίνης dicitur; καλά ejus ῥέεθρα Quinto Smyrnaeo commemorantur XI, v. 21.

Alter praestantissimae elegiae locus est v. 53, ubi Anacreon

Φοίτα δ' ἄλλοτε μὲν προλιπὼν Σάμον ἄλλοτε δ' αὐτὴν
Οἰνηρὴν δουρὶ κεκλιμένην πατρίδα
Λέσβον ἐς εὔοινον.

Vinum Lesbium a veteribus in deliciis habitum esse satis notum est, nec exemplis ubivis promptis confirmare juvat, cum hodie etiam id esse bonum narretur. v. diligentissimum Plehnium in libro de Lesbo insula p. 86, et de veterum testimoniis p. 6 sqq. Lepida est historia a Gellio tradita XIII, 5. In hoc autem, de quo agimus, loco jejuna est vini repetitio, quae ne infimae quidem notae poetam decet, non modo Hermesianactem. Si voluisset Anacreonta vinosum depingere, apte ille ab una insula, ubi vites educentur, ad alteram eundem fructum ferentem transiisse, diceretur, sed cum de amore tantum agatur, illa epitheta ornatus tantum causa adduntar, repetitione nullam habentes vim, sed languidam reddentes orationem. Scribe εὔυμνον pro εὔοινον. Corruptelae causa cum litterarum similitudo tum Graecorum recentiorum elocutio fuit. Callim. H. in Del. v. 4:

Κυκλάδες αἳ νήσων ἱερώταται εἰν' ἁλὶ κεῖνται
Εὔυμνοι. Δῆλος δ' ἐθέλει τὰ πρῶτα φέρεσθαι.

Attigerunt hanc vocem Ilgenius ad Hom. H. in Delium v. 19 et Spanh. ad Callim. H. 7 in Apoll. v. 31. Calli-

macho restituit Ernestus fr. XXXVI. Latine eam Horatius videtur reddidisse ep. I, XI, 1: *notaque Lesbos*; *inclyta* Petronio dicitur Anthol. Lat. I. ep. LI, *nobilis* Tacito Annal. VI, 3. *Πασάων αὐιδοτάτη* a Phanocle Lesbos vocatur v. 22. Explodatur igitur vanum sophistae superbientis hac de insula judicium: *τὰ ὀνόματα οὐκ ἠπίστατο ὀρθῶς διαιρεῖν, ἅτε Λέσβιος ὢν καὶ ἐν φωνῇ βαρβάρῳ τεθραμμένος,* quod Plato nobis tradit in Protagora p. 341, C. HSt. p. 575 ed. Heind. Aeolicae dialecti difficultatem jam veteres experiebantur.

Theognis, poeta sapiens, de improbis civibus locatus, v. 55 eos sic describit:

Ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον
Ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τὴν δ' ἐνέμοντο πόλιν.

Pro ἔξω Brunckius scripsit εἴσω, quod sequentes rejecerunt editores, aliud licet non attulerint remedium. Schaeferi verba integra apponam: *ἔξω fortasse genuinum. Indicantur, ni fallor, ἄνδρες ἐλάφειοι foris h. e. in expeditionibus bellicis, domi, Thrasones, qui omne jus fasque conculcarent. Post πόλιν tolle plenam interpunctionem; cohaerent enim haec cum seqq.* At ἄνδρες ἐλάφειοι nec sunt thrasones, nec horum locus est hic. Jure igitur Welkerus, in cujus editione versus sunt 10—22: *Schaeferi,* inquit, *explicatio aliena.* Ipsius tamen optimi viri interpretatio, ne magis etiam a vero aberret, vehementer vereor. Sic ille: *Admodum idonea est cervi imago, qui urbem haud magis fugere dicitur, quam agricolae olim fugerint jura civica non curantes vel aucupantes. Νέμονται imagine cum re ipsa confusa.* Horum verborum sententiam interpretari aliis relinquo. E contextu de civibus, qui optimatium imperium everterint, agi perspicue apparet. Multo sane cautius Bekkerus monet: *Locus nondum perpurgatus Cervi quoque alieni.* Quod ego quoque sensi, priusquam viri praestantissimi legissem annotationem. Ἔλαφοι illi mutandi sunt in λύκοι: δ' ὥςτε Λύκοι. Qua emendatione nihil certius arbitror. Pontius Telesinus ap. Vellej. Paterc. II, c. 27 de Romanis, ratione originis populi habita: *Numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos,* ubi v. Ruhnk. Aristaenet. II, ep. 18: *Καὶ γὰρ κυνὶ προςέοικε λύκος ἀγριώτατος ἡμερωτάτῳ.* Signi-

significat Theognis civem *intorsus turpem*, *speciosum pelle decora* ut cum Horatio loquar l. I. ep. XVI, 45. *Summa nequicquam pelle decorus* ex ejus imitatione Persius IV, 14. Nam ut Pindari verbis utar: *τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος.* Pro ἔξω an cum Brunckio εἴσω vel ἐξῆς vel etiam ἔνδον scribendum, nolim nunc discernere.

Callimachus H. in Delum v. 180 Apollinem de futura Ogygiorum clade sic facit loquentem:

> *ἴδωσι δὲ πίονα καρπὸν*
> *Γείτονος αἰθομένοιο καὶ οὐκέτι μοῦνον ἀκουῇ*
> *Ἀλλ' ἤδη περὶ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγες*
> *Δυςμενέων.*

Vitiosum esse hunc locum facile quisque videt, quamvis eum sine suspicione Wakefieldus et Erfurdtus laudaverint ad S. Trachin. 750 (744). Itaque Valckenarius ad Eur. Phoeniss. p. 503 hanc proposuit emendationem:

> *ἴδησι δὲ πίονα καρπὸν*
> *Γηπόνος αἰθόμενος καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκούῃ*

quam Ernestus probare videtur. *αἰθόμενον* Faber jam voluit nec improbabile videtur. Neque tamen ipsa etiam Valckenariana conjectura difficultas tollitur, quae in eo consistit, quod sequentia *Ἀλλ' ἤδη κ. τ. λ.* quo referantur, non habent. Legendum videtur:

> *ἴδωσι δὲ πίονα καρπὸν*
> *Γείτονες αἰθόμενον καὶ οὐκέτι μοῦνον ἀκουῇ*
> *Ἀλλ' ἤδη περὶ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγες*
> *Δυςμενέων.*

Variat autem poeta prudenter modos, dum, ardore vatis magis magisque crescente, in sequentibus ad futuri indicativum transeat.

Satis obvia et multis jam observata veterum est ars, res, quae aliquis cantaverit seu de quibus verba fecerit, ita fingi, tamquam ipse eas egerit. Insignis hoc nomine Moschi locus est in epitaphio Bionis inde a v. 79 ubi, ut molesta evitaretur tautologia, res a Bione cantatas tamquam ab illo ipso peractas pingit. Mirum

in modum A. Moebius in hoc loco erravit explicando in disputatione, quae Athenaeo inserta est a Guenthero edita et Wachsmuthio Vol. II, 1 p. 86 sqq. Eandem rationem, quam hic Moschus, venusti auctor epigrammatis iniit de Arethusa, quod Burmannus edidit T. I. Anthol. Lat. p. 632, emendavitque Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 260 acerbius notatus ab eodem Burmanno T. II. p. 481. Adde Statii Silv. II, 7, 54 sqq. et Ovid. A. A. III, 12, 20 sqq. Doctissimos viros ipsumque Burmannum Propertius in errorem duxit II, 10, 19 (8, 23)

> Haec ego castra sequar vates: vates tua castra canendo
> Magnus ero.

Recte Ruhnkenius *sequar* interpretatus est: narrabo. Sic plane Ovidius l. VI Fast. 13. Burmannum hoc loco haesisse eo magis miror quod ipse de hoc dicendi usu disseruit ad I, 7, 1. adde Gronov. Diatr. c. XXII, Reisigium Com. Cr. ad S. Oed. C. v. 859 inque praef. ad Ar. Nubes p. XXV sq. et quae Heinsius monuit ad Prudent. l. II c. Symmach. v. 50. *Flere rem* crebro dicitur pro agere de re flebili Prop. I, 9, 10:

> Aut Amphioniae moenia *flere* lyrae.

Adde Martial. VIII, 56. Vellej. P. II, 119 de clade Variana: Nunc summa *deflenda* est. Adde Lucil. Aetna v. 18. Hor. Ep. I, 18, 32 *dabat* Vulpius ad Prop. T. I p. 345 recte interpretatur: *danda esse ajebat.* Prop. IV, I, 57:

> Moenia namque pio conor *disponere* versu

ut Lachmannus bene edidit; pro *disponere* vulgo *describere* quae scriptura sine dubio ex interpretatione nata. Sic etiam accipe II, 1, 45 *versamus.* Apud Lucian. dial. meretr. XIII: *Σὺ γάρ, ὦ Λεοντίχε, ἀφελῆ παιδίσκην κατεφόβησας, ἐπισείων λόφους καὶ ἀπιθάνους ἀριστείας διεξιών,* verba *ἐπισείων λόφους* non proprie videtur accipi debere, quamvis hoc sensu eadem legantur verba paullo post XV s. f., sed *narrationes* sunt de *cristis agitatis.* Qui locus magis certe ad hoc dicendi genus pertinere videtur quam ejusdem Luciani Cynicus p. 74 in Symp. de quo loco Berglerus futili subtilitate

verba fecit ad Alciphr. L. III, ep. LV. Sic *ire per aliquod* et *esse* pro *aliquid cantare* dicitur ut a Manilio I, 13. Statio l. I Achill. 4 sqq. Non longe ab his Virgilius abest Aen. X, 497:

rapiens immania pondera baltei
Impressumque nefas.

Sequitur maxime memorabilis scripturae discrepantia inter nostram editionem easque a. 1472 et Reg. Lep. 1481.

De editionibus v. in praefatione. Ubi nihil adnotatum, sola editio princeps intelligenda; signum † utramque editionem in hac consentire scriptura significat; ubi R. L. adscriptum, sola Reg. Lep. hanc habet scripturam.

I, 2, 5. *vendere* p. *perdere* [Burmannus ibi dedit *prodere* e sua conjectura. Male v. Val. Flacc. I, 449, bene a Burm. explicatum et adde v. 467.]

— 10. *Et* †.

— 13. *persuadent.*

3, 18. *Ex parte* †.

— 30. *inventam* R. L.

5, 9. *Quid — nostris.*

— 15. *tremulis moestus* †.

— 9. *jam se.*

— 10. *irato.*

— 17. *iposito* [Bene de h. l. egit Lachmannus cujus emendatio non aspernanda esse mihi videtur].

— 25. *voluit semper* ut Lachm. edidit.

7, 8. *prisco* [ex Horatio sine dubio sumptum.]

8, 7. *sulcare.*

I, 8, 15. *patiatur arena* †.

— 45. *subducit* ut nos et Lachm.

9, 4. *quaevis* †.

10, 6. *longam — sinu. longam — moram* R. L.

— 15. *divisos.*

11, 5. *abducere. adducere* R. L.

12, 5. *amplexa.*

13, 17. *verbis.* v. 36. *quaecunque, quocunque* R. L.

14, 21. *juvenem t. miserum.* v. 24. *vel. nec* R. L.

15, 18. *post haec* ut nos et L. v. 39. *Quid*

16, 22. *Turpis.* 24. *videt* † ut et Borr. et Vat. I.

17, 3. *C. solito* omisso *est* †. 6. *increpet.* 15. *melius* †. v. 26. *nolo.*

18, 19. *amata.* v. 22. *miris,* v. 26. *facta* † cf. Huschk. ad Tib. IV, 14, 3.

20, 7. Nūc †. v. 8. *amoena* p. *Aniena* v. 10. *vagi.* v. 32. *Amadryas hinc* †. v. 51. *monitis* †. v. 52. *visus* †.

21, 4. *nostrae maxima* quod etiam pauci codd.

22, 6. *sit* †.

Liber secundus.

I, v. 35. *contexerat. contexerit* R. L. v. 45. *versantes* †. v. 75. *ducit.*

II, v. 11. *Mercurioque suis.* v. 13. *Cedite vos. C. etiam* R. L. v. 16. *Et sic.*

III, v. 17. *formosae* †. v. 22. *Carmina quae quivis* †. ut codd. nonnulli aliaeque edd. v. 33. *ah* in hoc et seq. v. ed. R. L. p. *hac.*

IV, 7. *nocitura.* v. 9. *hic* p. *ubi.*

V, 28. *verba levis* †.

VI, 2. *pedes.* v. 8. *ferunt* quod sententiae congruit v. Heusing. ad Cic. de Offic. I, XXIV, 12. v. 9. ut nos et Lachm. *facies*

pictae R. L. v. 26. *quidlibet. quodlibet* R. L. v. 34. *Cum.* v. 41. *me ducet* †.

VII, 9. *Anne* jam correctum in R. L. 15. *Et si* cetera erasa.

VIII, 10. *fuerant.* (quod fortasse recipiendum: sequens enim *fuit* non obstat. *Nudi fuerant* infr. XXIX, 7. XXXI, 7. *steterant armenta.* v. Lachm. ad I, 11 (12 ex ejus edit.) 29. *Exsequiae fuerant.* IV, 5, 69. ut recte Lachm. antiquam restituisse videtur scripturam. III, 12, 38: *Nec fuerat poena.* In v. qui hic sequitur fortasse scribendum *Cornigerat ditis.* Divites pastores praecipue vocantur v. Tib. II, 5, 35. Virgilius Ecl. II, v. 20. Val. Flacc. VI, 204. Quod attinet ad illa plusquamperfecta, nolo tamen dissimulare, librarios correptionem penultimae perfecti ignorantes, saepe peccasse. v. Drakenb. ad Sil. It. V, 264 et XV, 280] v. 13. *jam* † ut aliae edd. et codd. M. Voss. I O 2 B 2. v. 31. *fuga tractos* †. v. 39. *marte* R. L. *in arte.*

IX, 1. *forsan* ut in Voss. IV. v. 13. *Achili.* v. 17. *castis* †. v. 11. *anima* † [ut et codd. et ceterae edd. usque ad Burm. quem Lachm. egoque praepostere secuti esse videmur. v. Santen. ad Terent. M. p. 316 optime *anima* defendentem.] v. 14. *metuisse* ut Voss. I et in marg. B I. v. 28. *Ludet* †. Sua non careret elegantia *ludit.*

XI, 3. *Is.* v. 17. *est* insertum post *jucundum* †. v. 4. *Si puer est* † quod et codices nonnulli et edd. *es* correctum in R. L. v. 19. *istos* non male.

XII, 11. *juvat* ut nos. v. 35. *arida* et sic in aliis edd. legi testatur Alex. Syncliticus in annott. mss. ad ed. R. L. Fallitur itaque Burm. ad h. l. v. 47. *Quis tam longaevae. longaevae* †. cetera erasa. *Minuisset* R. L. [Reponere malim: *Quid, si tam longae minuisset* etc. Quid autem pro *Gallicus* substituendum, dubito. Magna eruditionis copia acutam suam confirmare studet Naekius conjecturam. At quod in omnibus vitupero, loci, ex quo miles iste oriundus fuit, commemoratio languet et iccirco quidem quia, cur hoc commemoretur, intelligi nequit et hoc plane supervacaneum est. Hoc nomine Bohetii *Bellicus* placet. Aliquando *callidus* in mentem venit ut Musa a Lucretio vocatur VI, v. 91. et, si recte memini, Claudianus *Venerem* dicit *callidam voti.* v. 53. *Adonem* † v. Servium

ap. Forcellin. s. v. Schneider. Gramm. L. II. p. 213 Claudian. II, 16. excitat, sine dubio Fescenn. carmina innuens.

El. XIII, 5. Versus hypermeter, *suum* addito ut B. 2 Voss. I, IV alii. v. 30. *in mediis.* v. 31. *Et si.* *Quae si* R. L.

XIV, 17. *cubares* † quod probandum videtur. v. 43. *neque esset. esset neque* R. L. v. 47. *Haec certa* R. L. *Nec* fuisse videtur in ed. princ. v. 53. *speramus* †.

XV, v. 35. *Ah* 43. *smaragdos* † proba scriptura. v. 53. *ipse* quod defendi potest.

XVI, 1. *fallere*, ut etiam Voss. III, O I B II ex interpretatione ut bene judicat Burmannus. v. 14. *tetra* †.

XVII, 5. *caneat.* v. 6. *faceret* †. v. 9. *undis* † sed *ulnis* correctum in R. L. v. 13. *dies.*

XVIII, 32. *non.*

XX, 12. *tenuis namque Cr. domo.* R. L. erasa sunt verba in ed. princ.

XXI, 18. *Fortuna* utroque versu. v. 44. *et nullo* cetera erasa. v. 48. *vetat.* v. 49. *rursum.*

XXII, 10. *innuda.* v. 17. *quod te.* ut nos et L.

XXIII, 3. *nudum.* † [ex hac scriptura vitium natum est, cum *u* et *i* fere semper permutentur] v. 35. *ut me pectora* † quam scripturam reduximus.

XXIV, 15. *rubigine* †. v. 25. *An* †.

XXV, 5. *agitavit* R. L. v. 10. *jam dea* † quod fortasse praeferendam scripturae vulgari. v. 15. *prae invidia.*

XXVI, 27. *in arvis* †. v. 28. *Lernae* †.

XXVII, 5. *sequimur* †.

XXVIII, 29. *Et tibi Maeonias omnis heroidas ante.* *Et t. Maeonidas interque h. o.* R. L. v. 44. *per magnum est* R. L. ut in Leid. Voss. Ask. B II aliis codd. et edd. v. 52. *iope* †. v. 59. *demissa* †.

XXIX, 31. *Quae tu* R. L. v. 39. *veste* ut Leid. II Voss. III ed. Beroald. non male, *nostra* R. L. ut multi codd. in iisque Neap. Leid. B. 2. v. 41. *recludor. custodis rector* R. L.

XXX, 18. *pallidus — timor* †. ut et codd. et aliae edd. v. 19. Nunc tu. Nunc jam R. L. v. 21. *Spargereque* R. L. v. 22. *digna* ut et Voss. I, III et Gr. non male. v. 25. *liceat.* v. 26. *Roscida* R. L.

XXXII, 7. sed †. v. 29. *luxu.* v. 54. *At — opes.* v. 61. *sive es. tuque es.* R. L.

XXXIII, 3. *pereat Nilo* †. v. 5. *iterum* p. *toties.*

XXXIV, 30. *noster.* v. 33. *Nam rursus licet* †. v. 38. *Tristis.* v. 40. *Magno* abest †. v. 53. *restaverit* †. v. 86. *cura.*

Liber tertius.

I, 6. *quave* R. L. v. 21. *detraxerat* †. v. 28. *per campos* †. quod probo. v. 42. *detinuisse.* v. 55. *cantata.* v. 62. *ictus pondere.*

II, 9. *Victorisque moras.*

III, 19. *Prolem serva* †. v. 22. *Me* †.

IV, 18. *parca — apta* † [ubi A. Syncliticus *parca* explicat *non avara.* Forcellinius s. *parcus* affert *parco* ut videtur typothetae vitio. Ipse explicat: exiguo tempore, post breve vitae spatium et idem Heinsius voluit *propera* conjiciens, quod geminum esset veterum sententiae quam nemo gravius expressit quam Soph. Oed. Col. v. 1225:

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-
κᾷ λόγον· τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι, κεῖθεν ὅθεν περ ἥ,
κει πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα

Sed recte correxisse videtur Lachmannus] v. 24. *integras* †. v. 25. *liceat.*

V, 22. *Aequalem* †. v. 40. *Jurabor bix* R. L. *et* omitt. †.

VI, 12. *est* addit ed. pr. omittit R. L. v. 26. *sponte tua tegas* l. L. ut codd. et Lachm. v. 42. *soli* †. [quam habet Vat. V scripturam *solum* praeferam quamquam *solita* ejus *ars* apud Avienum VI, P. III CVV Wernsdorfii me non fugit.] v. 47. *hūc.*

VII, 18. *Nam* R. L. v. 34. *vitae* p. *in te* ut etiam B. II.

VIII, 8. *illa* R. L. v. 16. *propria*; etiam *arte*, quantum adhuc conjicere licet. v. 21. *jure* p. *vitae*. v. 42. *arcis* R. L.

IX, 21. *voxque*. v. 26. *perstrepet*.

X, 5, *mortem* †. v. 31. *Conjugis obsceni* †. v. 33. *Alexandrina*. v. 46. *Jura dare st.* ut codd. v. 55. *Hoc* †. v. 62. *Et*. *At* R. L.

XI, 4. *facias*.

XII, 14. *Et — ipsa*. v. 30. *virgineos* † ut codd. et reliquae edd. vett. quae scriptura injuria textu expulsa. Servius ad Virg. Ecl. II v. 46: „Est autem vas feminarum propria, in quo lanam nendam reponere, flores colligere et similia his solent." Adde interpp. ad illud Tibulli IV, 10, 3:

> Si tibi cura toga est potior pressumque quasillo
> Scortum, quam Servi filia Sulpicii.:

Est igitur puellarum proprium. Lachm. probat vulgatam, nihilominus in textum Burm. scripturam recipiens.] v. 36. *Multaque* ut etiam Vat. V. v. 42. *secunda*.

XIII, 3. *laudes* † nondum prorsus damno. v. 19. *Inter equos*. v. 27. *Nec*. v. 28. *adoratae — domi*. E. XIV. v. 40. *obitura* et sic Heinsius, quod recte rejecit Burmannus: multo enim exquisitior codd. scriptura.

XV, 29. *humet — tumulus* †.

XVII, 5. *mortalis* jam R. L. fortasse tamen non consilio. Sumptum e Callim. fr. CCLXXI: Ἐδείμαμεν ἄστεα μοοτοί. v. 9. *Bis pressus* † ut multi libri mss. Gr. M. Borr. Voss. 3. O 2 alia. *demisit* ut iidem. *dimisit* R. L. v. 20. *ista* †. ut in Wecheliana et Broukh. Burm. se *usta* e mss. libris praetulisse affirmat; simul suo more ineptit, dicens *ista* falsum esse, quia mox sequatur *ista via*. Sed Livinejus certe de *usta* nihil annotavit et Gebhardus sic Palat. I habere tantum dicit. Vix autem *usta* intelligi potest. Retinendum igitur *ista*. v. 21. *hoc — huc* †. v. 22. *Et — est* R. L. v. 23. *donis* p. *canis*.

XIX, 10. *toros* R. L.

XX, 9. *cedunt* ut et *constringit*. †.

XXI, 27. *et* insertum ante *Demosthenis* in R. L. ut in Vat. I. Reg. aliisque edd. ante Aldinam.

XXII, 22. *ira.* † [quae scriptura sic explicanda: ira se temperat, quod attinet ad manus victrices, quas cohibet a crudelitate impotenti.] v. 25. ut *Albanusque l. et s.* v. 26. *nympha.* v. 32. *parante* ut Voss. III. v. 34. *Non* ut Voss. I et III. Gr. Leidd.

XXIII, 15. *dixi. dixti* R. L. *cessavimus* ut Ask. Voss. I, IV, O 2 B 2.

XXIV, 20. *exciderant.* v. 33. *cum cupias. cupias* R. L. v. 35. *patiere.*

Liber quartus.

El. I, 1. *quocunque.* v. 6. *Non fuit.* ut Leid. O. I B. II aliaeque edd. v. 15. *suo* p. *cavo* ut Vat. V. O I B II. v. 38. *putat. putet* R. L. v. 40. *Heu* † ut in Regg. Colb. v. 71 et 72. *Quo ruis imprudens vage discere fata P. Non sunt a dextra* (*dextro* R. L.) *c. t. c. Accersis lachrimas. cantas* (*cantus* R. L.) *adversus A.* †. v. 106. *Umbraque nec.* v. 117. *Victor o iliadae* †.

II, 2. *petende. petenda* Reg. O I B II. v. 5. *Nec me templa juvant.* ut etiam O I. v. 26. *facta* † ut in O I B II. v. 28. *Corbis ab imp.* ut in Colot. Vat. V O I B II. cf. Huschk. ad Tib. p. 65. v. 49. *At tu* ut in Ask. Leidd. Voss. I, III, O 2 B 2 v. 63. *Quod* ut in Vat. V. O I B II.

III, 11. *Et hae sunt p. Et p. s. m.* v. 34. *gladios* †. v. 42. *Pejerat* †. ut edidit Lachmannus. Quae tamen scriptura vix dici potest quantum a totius carminis ingenio abhorreat. Acerbissime illuderet Arethusa Lycotae quod tamen minime voluit, patientia maritum ad se alliciens. Verborum tamen illorum confusio frequens. V. ad Gellii N. A. VII, 18 v. 49. *a to. apto* R. L. v. 52. *tuas* †.

IV, 3. *conditus* †. v. 5. *comosa.* v. 20. *vias* p. *jubas* R. L. ut Reg. v. 26. *arma* p. *hasta* aperte vitiosum. v. 30. *compatienda* ut in Voss. III a m. sec. et Exc. Leid. II. v. 48. *rosida* R. L. v. 55. *pariare* ceteris erasis. *patiare* R. L. v. 68.

nefuriis †. v. 86. *tuis* ut in multis codd. defendit Passeratius. v. 93. *Tarpeja* correctum in R. L.

V, 5. *Nocte* ut etiam O I B II. *molire* ut B II v. 19. *Exorabit* † sed correctum in R. L. v. 24. *Textaque.* v. 28. *Frangeat* ut O I. *Frangent* R. L. ut Neap. Voss. I, III alii. v. 29. *clausis* R. L. quod favere possit Feae *claustris*: sed nec *causis* nec *simulare* correctione indiget. v. 40. *alterius* ut Perrej. Vatic. 3. v. 54. Post h. v. repetitur distichon I, 2, 1 et 2 ut in B 2 Rsk. Perrej. Voss. Reg. II. Gr. †. v. 72. *cultro* R. L.

VI, 11. *Referamus.* v. 21. *tenero* R. L. v. 22. *apta* †. v. 49. *Ceraunica.* v. 59. *mirat. miratur* R. L. ut Lachmannus. Cujus tamen correctionem neutiquam probare possum. Illud *tum deus* et languet ob praecedentia verba *Idalio ab astro* et quia positum est in versus initio, ubi nescio quid ingrati habet. Deinde vulgata optime convenit incitato Caesaris animo. Se deum esse videt; nam veros natos conspicit. Haec enim est illa fides. Non degenerasse propinquos laetatur. v. Ov. ep. ex Ponto I, 4, s. f. Germanici uxor se non *degenerem ad pericula* esse affirmat Tac. Annal. I c. 40. v. Claudian. R. P. I v. 195. de bello Gildonico v. 303. *Degeneres* lupi i. e. *timidi* Statio commemorantur Theb. XII, 740. Degenerare est καταισχύνειν de quo v. cf. Wyttenb. ad Plutarch. de Sent. profectu in virtut. p. 85, F. Igitur Caesar dicit: Ut ego deus sum, sic illi mihi aemulantur seque divino genere ortos esse comprobant. v. 85. *vocem* ut Voss. I, O I.

VII, v. 95. *voce* etiam R. L. sed *lite* suprascr.

VIII, 6. *arripitur.* v. 8. *et* omiss. et *una* p. *ima* ut Voss. IV. Neap. alii codd. et edd. v. 10. *temerae. anguineo. temere* R. L. v. 11. *colligit.* v. 23. *Siriganam tracto.* v. 29. *Hellius.* v. 31. *Inter Tarpejos est altera teia lucos.* ut O I B I. v. 41. *Magnus* ut omnes fere codd. quod fortasse non rejiciendum. v. 57. *ungues* ut e Colb. Gr. et Palatt. ed. Broukh. v. 69. *protractus.* v. 78. *sudat ap.* v. 84. *Suffocat.* v. 88. *Respondi et t. s. membra t.*

IX, 8. *V. et ad junctos. V. ad invictos.* R. L. v. 10. *sonos* † ut plerique codd. v. 21. *torquet.* v. 27. *mitrae* ut Vat. V O I. v. 31. *congesta* ut Neap. Voss. I B 2 O I. v. 34. *vana viis.* v. 40. *varias.* v. 48. *Lyda-colo.*

7. *petentes* et mox *inversa* utrumque in O I. v. 25. *C. et inde s.* ut O I. v. 26. *terra.* v. 30. *ferunt* ut O I. v. 37. *Columni* ut B II. v. 39. *atheno.* v. 41. *Uncomani* ut Voss. I O I B II. v. 42. *mobilis* ut v. c. ap. Pocchum et Puccium. *effecti* p. *e t.* et *gessa.* v. 46. *crimine* ut Voss. I O I *circo* ut O I.

XI, 8. *umbrosos.* v. 9. *dum* ut O I quod notandum e Santenii sententia. v. 12. *Proficit* ut O I. v. 13. *Non — habuit.* v. 26. *laxa.* v. 29. *decora trophea* ut O I Exc. ed. Vic. v. 30. *Vera* ut O I Perrej. aliae edd. v. 39. *stimulantem.* v. 50. *assensu* ut Voss. I O I B 2 Francii c. aliae edd. v. 54. *cujus vasos* ut O I Voss. I alii. v. 67. *nacta* ut O 2 Voss. III Harlej. edd. aliae. v. 70. *uncturis.* v. 77. *adite mater.* v. 79. *quis — erit.* v. 80. *sunt — fatigas.* v. 84. *tace.* v. 97. *numquam* bis legitur ut in nonnullis codd. v. 101. *sint* ut O I. *vehuntur* et *aequis* quod e libris qui *equis* habent.

Numeri Burmanniani cum Vulpianis comparantur et Lachmannianis.

Index hic expressus est ex ed. Lachm. denuoque recognitus. Nostri numeri cum Vulpianis fere consentiunt; ubi dissident, numeros hoc signo () inclusos apposuimus. Adjecimus deinde comparationem Vulpii et nostrae editionis, omissis Burm. et Lachm. numeris.

Burm.	*Vulp.*	*Lachm.*
Lib. I.	Lib. I.	Lib. I.
VIII, 27—46.	VIII, 27. 46.	IX.
IX—XXII.	IX—XXII.	X—XXIII.
XV, 15. 16.	XV, 15. 16. (19. 20.)	XVI, 21. 22.
XIX, 17. 18.	XIX, 17. 18.	XX, 19. 20.
19. 20.	19. 20.	17. 18.
Lib. II.	Lib. II.	Lib. II.
I, 5. 6.	I, 5. 6.	I, 9. 10.
9. 10.	9. 10.	5. 6.
49. 50.	III, 45. 46.	IV, 1. 2.
51—72.	I, 49—70.	I, 49—70.
73—80.	IV, 7—14.	IV, 17—24.

81—88.	I, 71—78.	I, 71—78.
II, 1—4.	III, 1—4.	III, 1—4.
5. 6.	II, 1. 2.	II, 1. 2.
7—10.	III, 5—8.	III, 5—8.
11—18.	47—54.	IV, 3—10.
19—54.	9—44.	III, 9—44.
[39. 41.]	[29. 31.]	[31. 29.]
55—68.	II, 3—16.	II, 3—16.
III, 1—6.	IV, †—16.	IV, 11—16.
7—14.	15—22.	25—32.
IV—VI.	V—VII.	V—VII.
[V, 15—32.	[VI, 23—40.	[VI, 23—40.
VI, 21. 22.]	41. 42.]	41. 42.]
VII, 1—6.	VIII, 1—6.	VIII, 1—6.
	Lib. III.	Lib. III.
7—8.	XVIII (XVII) 29. 30.	XVII, 29. 30.
	Lib. II.	Lib. II.
9—16.	VI, 15—22.	VI, 15—22.
17—28.	VIII, 29—40.	IX, 13—24.
29. 30.	9. 10.	VIII, 9. 10.
31. 32.	7. 8.	7. 8.
33. 34.	IX, 1. 2.	X, 1. 2.
35—40.	VIII, 11—16.	VIII, 11—16.
41—78.	IX, 3—40.	X, 3—40.
79—90.	VIII, 17—28.	IX, 1—12.
91—98.	IX, 41—48.	X, 41—48.
VIII, 1—4.	49—52.	49—52.
		Lib. III.
5—30.	X.	I.
31—36.	XI (X, 27—32.)	27—32.
IX.	XII (XI)	II.
X.	XIII (XII.)	III, IV.
XI, XII.	XIV. XV (XIII. XIV.)	V, VI.
[XII, 3—8.	[XV (XIV) 5—10.	[VI, 5—10.
9. 10.]	3. 4]	3. 4.]
XIII, 1—56.	XVI (XV.)	VII.
57—74.	XVII (XVI.)	VIII.
XIV, 1—4.	XVIII (XVII) 1—4.	IX, 1—4.
5. 6.	21. 22.	21. 22.
7—22.	5—20.	5—20.
23. 24.	33. 34.	X, 11. 12.
25. 26.	23. 24.	1. 2.
27. 28.	31. 32.	5. 6.
29. 30.	25. 26.	3. 4.
31—34.	27—30.	7—10.
35—38.	35—38.	13—16.
XV—XVII.	XIX — XXI (XVIII —XX.)	XI—XIII.
XVIII, 1—42.	XXII (XXI) 1—42.	XIV.
43—50.	43—50.	XV, 1—8.
51—58.	XXIII (XXII) 1—8.	9—16.

59—64.	XXIV, 11—16 (XXII, 35—40.)	XVI, 11—16.
65—80.	XXIV (XXII) 9—24.	XV, 17—32.
81—90.	XXIV, 1—10 (XXII, 25—35.)	XVI, 1—10.
XIX, 1—16.	17-32 (XXIII, 1—16.)	XVII, 1—16.
17. 18.	47. 48 (—31. 32.)	31. 32.
19—32.	33—46. 17—30.	17—30.
33—36.	49—52. 33—36.	33—36.
37—46.	XXV (XXIV) 1—10.	XVIII, 1—10.
47—50.	35—38.	35—38.
51—74.	11—34.	11—34.
75—84.	39—48.	39—48.
XX, 1—20.	XXVI (XXV) 1—20.	XIX.
21—58.	21—58 (XXVI)	XX.
59—74.	XXVII.	XXI.
XXI, 1—46.	XXVIII, 1—46.	XXII.
[3. 4.	[33. 34.	[33. 34.
5—34.]	3—32.]	3—32.]
47—62.	47—62.	XXIII.
XXII.	XXIX.	XXIV.
XXIII, 1—16.	XXXI.	XXVII.
17—20.	XXX, 27—30.	XXVI, 5—8.
21. 22.	XXXII, 1. 2.	XXVIII, 1. 2.
23. 24.	XXX, 31. 32.	XXVI, 9. 10.
25—28.	23—26.	1—4.
29—36.	33—40.	11—18.
37—40.	XXXII, 7—10.	XXVIII, 7—10.
41—44.	3—6.	3—6.
45—52.	11—18.	11—18.
53—64.	XXX, 1—12.	XXV, 1—12.
65—68.	19—22.	19—22.
69—80.	XXXII, 19—30.	XXVIII, 19—30.
81—86.	XXX, 13—18.	XXV, 13—18.
87—118.	XXXII, 31—62.	XXVIII, 31—62.
XXIV. XXV.	XXXIII. XXXIV.	XXIX. XXX.
[XXV, 31—40.	[XXXIV, 31—40.	[XXX, 31—40.
41—42.	41. 42.	43. 44.
43. 44.	43. 44.	41. 42.
45. 46.	45. 46.	49. 50.
47—50.	47—50.	45—48.
51—66.	61—66.	51—66.
67—82.	67—82.	69—84.
83. 84.	83. 84.	67. 68.
85—94.]	85—94.]	85—94.]

Lib. III.	Lib. III.	Lib. IV.
I, 1—40.	I (I, 1—40.)	I, 1—40.
41—68.	II (I, 41—68.)	41—68.
II.	III (II.)	II.
III, 1—22.	IV (III.)	III.
23—70.	V (IV.)	IV.
IV—XVII.	VI—XIX(V—XVIII.)	V—XVIII.
[V, 9—20.	[VII (VI) 55. 56.	[VI, 55. 56.
21—24.	17—20.	17—20.
25—32.	9—16.	9—16.
33—36.	67—70.	67—70.
37—46.	25—34.	25—34.
47. 48.	37. 37.	37. 38.
49. 50.	35. 36.	35. 36.
51—54.	21—24.	21—24.
55—58.	39—42.	39—42.
59. 60.	53. 54.	53. 54.
61—66.	47—52.	47—52.
67—70.]	43—46.]	43—46.]
[VII, 47—58.	[IX (VIII) 47—58.	[VIII, 49—60.]
59. 60.]	59. 60.]	47. 48.]
IX, 36.	[XI (X) 36.	[X, 40.
40.]	40.]	36.]
[47—58.	[47—58.	[49—60.
59. 60.	67. 68.	47. 48.
61—68.]	59—66.]	61—68.]
[XIII, 13. 14.	XIV (XIII) 15. 16.	[XIII, 15. 16.
15. 16.	13. 14.]	13. 14.]
[XVI, 29—32.]	[XVIII (XVII) 31—34.)	[XVII, 31—34.]
XVIII.	XX, 1—10. (XIX.)	XIX.
XIX, 1. 2.	13—14. (XX, 1. 2.)	XX, 1. 2.
3. 4.	11. 12. (—3. 4.)	3. 4.
5. 6.	15. 16. (—5. 6.)	7. 8.
7. 8.	19. 20. (—9. 10.)	5. 6.
9. 10.	17. 18. (—7. 8.)	9. 10.
11—20.]	21—30. (—11—20.)]	11—20.]
XX—XXII.	XXI—XXIII.	XXI—XXIII.
XXIII, 1—20.	XXIV (XXIV, + 1—20.)	XXIV, 1—20.
21—38.	XXV (—21—38.)	21—28.
Lib. IV.	Lib. IV.	Lib. V.
I, 71. 72.	I, 87. 88.	I, 87. 88.
73—84.	71—82.	71—82.
85—104.	89—108.	89—108.
105—108.	83—86.	83—86.
III, 35. 36.	III, 37. 38.	III, 37. 38.
37. 38.	35. 36.	35. 36.
IV, 17—90.	IV, 19—92.	IV, 19—92.
91. 92.	17. 18.	17. 18.

VII, 21. 22	VII, 25. 26.	VII, 21. 22.
23—26.	21—24.	23—26.
35—42.	39—46.	39—46.
45—46.	35—38.	35—38.
X, 23, 24.	X, 25. 26.	X. 25. 26.
25. 26.	23. 24.	23. 24.

Numeri Vulpiani comparantur cum nostris.

Vulp.	*Nostri.*
Lib. I.	
I, 15. 16.	I, 19. 20.
Lib. II.	Lib. II.
XI.	X, 27—32.
XII.	XI.
XIII.	XII.
XIV.	XIII.
XV.	XIV.
XVI.	XV.
XVII.	XVI.
XVIII.	XVII.
XIX.	XVIII.
XX.	XIX.
XXI.	XX.
XXII.	XXI.
XXIII, 1—8.	XXII, 1—8.
XXIII, 9—24.	XXII, 9—24.
XXIV, 1—10.	XXII, 25—35.
XXIV, 11—16.	XXII, 35—40.
17—32.	XXIII, 1—16.
33—52.	17—36.
XXV.	XXIV.
XXVI, 1—20.	XXV.
21—58.	XXVI.
Lib. III.	Lib. III.
I.	I, 1—40.
II.	41—68.
III.	II.
IV.	III.

Vulp.	*Nostri.*
Lib. III.	Lib. III.
V.	IV.
VI.	V.
VII.	VI.
VIII.	VII.
IX.	VIII.
X.	IX.
XI.	X.
XII.	XI.
XIII.	XII.
XIV.	XIII.
XV.	XIV.
XVI.	XV.
XVII.	XVI.
XVIII.	XVII.
XIX.	XVIII.
XX, 1—10.	XIX.
[10—30.	XX.
11. 12.	[3. 4.
13. 14.	1. 2.
15. 16.	5. 6.
17. 18.	7. 8.
19. 20.	9. 10.
21—30.	11—20.
XXI.	XXI.
XXII.	XXII.
XXIII.	XXIII.
XXIV.	XXIV, 1—20.
XXV.	21—38.

INDEX

GRAVISSIMORUM LOCORUM, QUI IN OBSS. VE EXPLICANTUR VEL EMENDANTUR.

Halae, typis expressum Gebaueriis.